


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [1] - -

PUBLIC DOMAIN

Leibn. Marg. 170

Unterstreichungen u. hss. Eintragungen auf d. S. 20, 21, 22, 23, 24, 25, 29 ff.; 20, 21, 23, 37 [?], 42, 47 ff.

Leibniz' Hand S. 32. 55

v. a.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK


Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [2] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [3] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [4] - -

PUBLIC DOMAIN

D. NICOL. HIERON. GVNDLINGII
SERENISSIMI BORVSSIAE REGIS SACRIQVE
TRIBVNALIS QVOD EST IN DVCATV MAGDE-
BVRGICO CONSILIARII ELOQVENTIAE ET AN-
TIQVITATVM P. P. ORDINARII
DE

HENRICO AVCVPE FRANCIAE ORIENTALIS SAXONVMQVE REGE


LIBER SINGVLARIS

IN QVO
REIPVBLICAE FACIES EX GENVINIS RE-
RVM DOCVMENTIS DIPLOMATIBVS TABVLIS CHARTIS
SCRIPTORIBVSQVE AEQVALIBVS IN LVCE COLLOCATVR ERRORES CLA-
RISSIMORVM VIRORVM MODESTE CONFVTANTVR MVLTA NOVA EX
MEDII AEVI GEOGRAPHIA ATQVE HISTORIA DEDVCVNTVR
AC COGNITA DENIQVE MELIORIBVS ARGVMENTIS
TESTIMONIISQVE ILLVSTRANTVR.



HALAE MAGDEB. A. clo Iocc XI.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [5] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [6] - -

PUBLIC DOMAIN

CVm res geſtæ maiorum noſtrorum partim ob ſcriptorum penuriam in obſcuro latitent; partim auctorum incuria fabulis ſint reſperſæ; non ab re mihi facturus videbar, ſi ſelecta quædam capita ex genuinis monumentis repeterem, & quod ignotum occultumque, ab obliuionis iniuria vindicarem; quod vero fictum commentitiumque, a fabularum vanitate liberarem. Quod quam difficile factu ſit, ii facile intelligent, qui, quem de HENRICO AVCVPE in vulgus emittimus, librum ſingularem ad veritatis rationem reuocabunt, ſuiſque rem, vt fas eſt, ponderibus penſiculabunt. Nec enim, quod multi credunt, Witechindi annales huic negotio ſufficiunt; nec Roſwithæ Poetriæ carmina, quod ſat eſt, ſuppeditant; nec chro-

nicus Ditmari, quæ desiderantur, libellus supplet: requiruntur multo plura ad solam AVCVPIS historiam rite adornandam, poliendamque. Nam etsi Ioanes Henricus Bœclerus, itemque Ioannes Conradus Diericus vix aliis monumentis, actisque vsi sunt; tamen hoc pace clarissimorum virorum ingenue adfirmabo, haud pauca ab iis esse prætermissa, multa minus recte deducta, plura ignorata, ac pleraque denique, temporum rationibus posthabitis, confuse propositа, litterisque consignata. Scio equidem, parui hæc a nonnullis fieri, inque minutiis recenseri: sed habeo etiam pro comperto, ist hoc hominum genus vix intelligere, quæ historiæ leges requirant, exposcantque. Quod minime mirandum est. Vbiubi enim talia addiscant, quæso? in scholis tralatitia imbibunt: in Academiis primoribus labris necessaria deguſtant: deinde curas suas præcipitant: post ad vulgaria & communia descendunt, vt habeant, vnde abdomini consulant: cetera securi, quæque aliis retro

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [8] - -
PUBLIC DOMAIN

retro sæculis contigerunt, vel negligentes, vel perfunctoria opera inspicientes. Igitur quum parum, vel nihil, quod ad exquisita litterarum studia pertinet, mente complectantur, memoriaque teneant; facile fit, vt, quod impune sibi ignorare videntur, superbo fastu contemnant; quasi scilicet nullius pretii forent, quæ nesciunt, aut inutilia videantur, quæ ieiunis, atque ignauissimis ingeniis sunt abstrusa atque incognita. Quod si interea nonnulli forent, qui chronologiam minus necessariam in omni historia putarent, iis expendendum relinquerem, vtrum is exacte res præcedenti sæculo gestas animo imprimat, qui Westfalicam pacificationem Nouiomagensi postponat; aut Ryswicensem huic præponat? Credo, neminem adeo fore absonum, qui eiuscemodi hominem in summa versari confusione sit negaturus; aut aliquid eum intelligere in rebus sæculi XVII. sit dicturus. Atque ita vero veteres quoque Germaniæ annales comparati sunt; vt nisi singula suis temporibus ad-

ſignentur, vel nihil inde addiſcas, vel commenta tibi, aliiſque proponas; multaque inferas, concludaſque, quæ, rationibus rite confectis, aliter forent ordinanda, ac deducenda. Quod vt euidentius cognoſceretur, operam in hac commentatione dedi, vt, quos alii in deſcribendo reipublicæ ſtatu commiſerunt, errores neglectæ temporum ſcientiæ attribuerem, quippe cuius ignoratio, aut contemtus ſane effecit, vt reipublicæ mutationes imperite miſcerent, & quod Ottonum ætate contigit, illud Conradi I. vel Henrici fuiſſe factum abſone contenderent. Et tamen, quod merito miremur, pauci in id incumbunt, eoque conſilia ſua conferunt, vt, quæ ad notitiam poſteritatis peruenere, rite digeſta ſuis initiis, ſuæque origini reddantur. Cuius rei non alia videtur cauſſa, quam quod temporum rationes ſine ordine nequeunt ſubduci: ordo vero diligentiam flagitat; diligentia corpus adfligit; adflictio dolores progignit; dolores autem omni animi contentione vniuerſi

deui-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [10] - -
PUBLIC DOMAIN

deuitant atque ſinguli. Itaque plerique veterum monumenta quaſi tranſeuntes ſtrictim adſpiciunt, ac, ne nihil obſeruaſſe videantur, hiſtoriolas decerpunt, ſubnotantque: his fictas & adumbratas ſententias ſuperſtruunt, quæ nuſquam cohærent; faceti ceteroquin, quod ſibi tantum placeant, inque eos, quibus non arrident commenta, mille maledicta euomant, ac mille itidem conuicia magno ſtrepitu eructent. Quod, quam ſit ineptum, ingenuoque homine indignum, nemo eſt hodie paullo humanior, qui ignoret. Sed caue tamen, exiſtimes Lector, librum hunc chronologicas tantum controuerſias ventilare; inque eo omnem induſtriam verſari noſtram, vt nullis non ſcriptorum nouorum adfectis, ac languentibus partibus ſcalpellum adhiberemus, cum acie ingenii, tum veterum teſtimoniis freti. Pertractauimus certe longe plura, neque his minus præſtantia in medium attulimus, reipublicæ ſtatum ante oculos perpetuo habentes, Regis ac Principum

iura

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [11] - -
PUBLIC DOMAIN

iura contuendo : euntes per prouincias ; Ducum ſacrorumque Antiſtitum , Comitum , Nobiliumque munera , ac miniſteria circumſpiciendo : vt , quæ ſedulitate non contemnenda euoluimus , in publicos aliquando vſus conuerterentur. Quod quum fieri non poſſet ſine luculenta veterum annalium , ac medii æui monumentorum pertractatione , obſtarentque præterea librorum vulgarium errores ; opera a me data eſt , vt tabulæ , chartæ , diplomata , ſanctorumque , quas vocant , vitæ , lacunas explerent , fabularumque tenebris commode diſpulſis mores patriæ antiquos , teutonicæque ciuitatis faciem in luce clara ſpectandi proponerent. In quo vtrum recte ſim verſatus , ac nonnihil laudis promeruerim , meum non eſt definire ; multo minus modeſtiæ congruum , hoc loco pronunciare. Mihi ſatis honorum , ſatis ſuperque gloriæ eſt , ſi commentatiunculæ , quam vides , ab iis inprimis locus non adſignetur poſtremus , qui intelligunt , nec harum rerum prorſus ſunt imperiti. Attilas de ſchola nihil moror ; nec iſtud etiam hominum genus curo , quod implacabiliter eſt contentioſum , ac alienis bonis mœrens. Vt vero mihi licuit , ac diſſentire ab aliis liberum fuit ; ita ridiculus forem , ſi longis ab omnibus rationibus contenderem , vt vbique mecum facerent. Permitto enim ſingulis , vt a me diſcordent ; neque vt probet , quæ non putat probanda , rogo quemquam. Halæ Magdeburgicæ ipſis Idibus Aprilis cIↃIↃcc XI.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [12] - -
PUBLIC DOMAIN

HENRICVS AVCEPS

FRANCIAE ORIENTALIS REX.

§. I.

HEnricus Ottonis Illuſtris Filius, Ludolphi Saxonis nepos, ex Witikindeo ſanguine originem duxiſſe quidem dicitur; ſed vereor, vt poſſit defendi, clariſque argumentis & ſignis demonſtrari. Neque enim credibile eſt, Corbeienſem Monachum (a) ſilentio eiusmodi decus inuoluturum (b) fuiſſe, ſi illo tempore eius rei fama, notitiaque increbuiſſet. Id certum eſt, Ludolphum auum prædia (c) Ecberti Saxonum Marchionis ac Ducis, Ludouici Pii ætate inprimis enitescentis poſſediſſe: at inueniri nondum potuit, quis ille Ecbertus (d)? quod Idæ (e) coniugis eiuſdem genus? Plerique ſcriptores hic magis muti ſunt, quam piſces: nec dubito, quin etiam Ecbertus ac Ida obliuioni fuiſſent traditi, niſi Werthinenſis Monachus Vffingus Vitæ

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [13] - -
PUBLIC DOMAIN

S. Idæ auctor, itemque translationis Pusinnæ (f) scriptor istud par nobile coniugum, ab interitu (g) vindicasset.

(a) Vixit *Witechindus* Magni Ottonis tempore, cuius præclara facta, nec non Henrici Parentis libris tribus litteris mandauit, eosque Mathildæ Ottonis filiæ in Quedlinburgensi Parthenone primas tenenti, ac flore virginali, itemque singulari sapientia præfulgenti nuncupauit. Recenset *Trithemius* libros alios quam plures a Witechindo exaratos, penes quem sit fides. Optandum foret, vt gesta Saxonum, quæ consignavit, ad nostras manus peruenissent: forte lux maior his rebus affulgeret, ac nobili Ludolphi prosapiæ.

(b) Valet hic argumentum a silentio desumtum. Neque enim simile vero est, vt, qui Mathildis genus, quæ erat Henrici vxor, ad Witikindum Saxonum illustrem Ducem retulit, reticeat Ludolphi, si ex eodem cum Mathilde fonte manasset. Est hæc doctissimi *Leibnitii Introduct. in Collect. Script. Histor. Brunsuic.* inseruientium ratiocinatio, & *Nicolai Schateni Annalium Paderbornensium* auctoris p. 129.

(c) Discimus istud ex *Vffingo*, qui sub Ottone II. vitam B. Idæ litteris memoriæque prodidit. Et hic autem eo loco, quem Saxones Herzfeldiam appellarunt, non tantum ædem sacram ab castissima Ida exstructam, verum etiam infantem Ludolphi Comitis iuxta Idam sepulchro fuisse mandatum, commemorat. (*Lib. I. cap. IX.*) Ex quo firmiter concludimus, Ludolphum Ecberti ac Idæ possessionibo esse potitum. Memoratu igitur digna est Herzfeldiensis ecclesia in pago Dreni ad Luppiam in Monasteri-

sterienſi Diœceſi poſita, ob præclara, quæ ibidem hodienum conſpiciuntur antiquitatis monumenta.

(d) Id ſcimus, fuiſſe eum Comitem ac Ducem clariſſimum trans Wiſeram, ſeu Viſurgim: ac ſuſcepiſſe e thalamo S. Idæ Warinum, & Cobbonem filios, itemque Hadwigem filiam, quæ ad regimen Heriſordienſis monaſterii *diuini nutu promota* perhibetur in libello de *tranſlatione Sanctæ Puſinnæ virginis in monaſterium Corbeiæ novæ.* Warinus poſt Adalardum Corbeiæ Abbas datus eſt; quem Ludouicus Imperator Pius in Diplomate ab Schatenio Annal. Paderborn. Lib. II. p. 90. publicato *fidelem* ac *propinquum ſuum* appellat. Quamobrem ſine dubio fabuloſa Warini Genealogia eſt, quam ex Ioanne Leznero retulit perdoctus Meibomius in notis ad Witechindum p. 694. Credidit enim ille Warinum Caroli M. ex filia nepotem fuiſſe. Quod a veritate longiſſime abeſt. Obiicit Warino *Paſchaſius* (*) in *Epitaphio Walæ* Abbatis Corbeienſis Lib. I. cap. XX. tumidum ex genere faſtum, eumque *nugis ſæculi, & vanitatibus laſciuiſſe* affirmat; cum e contrario *Witechindus* admirandæ ſanctitatis prædicet. Tu quid verum, quidue falſum ipſe iudices. Laborant nonnumquam etiam ſacerdotes præſumtis quibusdam opinionibus; vt eos ſuperbos, turgidoſque appellitent, qui a fæce populi quadantenus ſunt remoti. Alter Ecberti filius, Warini, & Hadwigis frater, Cobbo apud eumdem *Vſſingum* in palatio Caroli Calui *quotidianis eius adhæſiſſe obſequiis* dicitur. Vnde cum grano ſalis intelligendus eſt illuſtris *Leibnitius*, qui ſub Ludouico Germanico magna eum auctoritate per totam floruiſſe Saxoniam ſcripſit. Adferam in hanc rem integra Vſſingi verba:

Horum ergo neptis, vtpote ex eorum sorore genita, patre viro spectabili & valde inclyto ad regimen Herisordensis monasterii, venerabilis Haduini diuino nutu promota, & diuino amore, & maiorum suorum exemplis tamquam quibusdam stimulis æmulationis incitata, cum desideraret tam sanctæ religionis deuotione, quam patrocinio sanctorum monasterium, quod susceperat, illustrare, proposuit pia intentione, quamquam difficile impetratu videretur, excellentis Caroli *regis super hoc auxilia flagitari: non enim aliter quolibet in loco regni eius sanctorum pignora forent, ea se consequi posse videbat. Erat autem aditus ad ipsum, siue consanguinitatis gratia, cum ei tertio quartoque cognationis gradu iungeretur, siue quod Maiores eius multa familiaritate memorati principis vsi essent, tum etiam quod frater eius Cobbo, in palatio quotidianis eius adhærebat obsequiis, & etiam quod pretiosissimis sæpe donatus ab eodem fuerat muneribus, non minimum eius animos accendebat, & ne titubaret in aliquo, ius inolitæ familiaritatis effecerat.* Atque hæc quidem de Ecberto certo constant. Nunc, an Witikindum patrem aut auum habuerit, dispiciemus. Sane vero *Albertus Stadensis* eum continua masculorum serie ex Wicberto Vitekindi filio, qui Wildeshusii in monasterio virorum, ad Diœcesin Bremensem pertinente, sepultus est, deducit. Sed deficit scriptoris cuiusdam æqualis auctoritas, totamque rem *Witechindi* Corbeiensis, vt diximus, silentium admodum dubiam reddit.

(*) Fuit Paschasius Radbertus nouæ Corbeiæ Monachus, stiloque oratorio res a Wala gestas duobus libris prosecutus est. Ad exemplum Vrsi Romanæ ecclesiæ subdiaconi titulum Epitaphii

pitaphii præscripsit; vt qui Gregorii Nazianzeni laudationem funebrem; in honorem Basilii M. exaratam, eodem nomine insignivit. Dialogi more fictis nominibus vsus est, ne singulos proprio nomine appellando partium fautoribus irascendi ansam daret. Vide pluribus rem exponentem Mabillonium in Annal. Bened. Tom. II. p. 576.

(e) Ida Francorum, hoc est, Pipini & Caroli M. genere nata fratres habuisse clarissimos viros dicitur. Sed quinam illi, quoue modo, graduque Carolo iuncti, difficile est definire. Quæ a *Leibnitio* Viro clarissimo ad feruntur, eruditæ conjecturæ sunt. In coniecturis autem numquam non metu quodam angimur, ne res aliter sese habeat, *Quoniam ergo*, inquit, *Ida non fuit horum soror, neque adeo Carolique Magni consobrina, an altius assurgendo dicemus patrem eius fuisse Nebelungum Matriacensem Comitem, Childebrando natum, quem Caroli Martelli fratrem (ex patre an matre ambigunt quidam) Fredegarius facit? an Theodericum regiæ & ipsum cognationis, quem quidam Nibelungi fratrem volunt, magnæ apud Carolum M. auctoritatis, & Ripuariis præfectum, qui Westfalis proximi erant.* Quid si Idam ex filia Caroli Magni Bertha dicerem genitam? Vt enim ita concludam varia mouent atque faciunt. Nupsit enim, vti ex certis veterum testimoniis constat, hæc perillustris femina Angilberto Abbati postea Centulensi, & cum eo filios duos genuit Nithardum atque Hartnidum, quos semper pro Idæ fratribus clarissimis reputaui. Cui accedit, quod translationis Pusinnæ scriptor Hadwidam cum Carolo Caluo in tertio vel quarto gradu coniunctam adfirmet. In quo ea, quam ducimus, Genealogia conspirat.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [17] - 5
PUBLIC DOMAIN

Carolus M.

Ludouicus Pius — Bertha Angilberti C.

Carolus Caluus. — Nithardus Harnidus. Ida Ecberti C.

Hadwidis.

Bertham vero Caroli Magni filiam Angilberto coniugali fœdere fuisse nexam, ipse Nithardus, de quo verba fecimus, litteris, memoriæque prodidit. Ita enim ille Lib. IV. Hist. suæ p. m. 107. edit. Kulpis. *Fuit hic vir* (Angilbertus) *ortus eo in tempore haud ignotæ familiæ. Madhelgaudus autem, Richardus & hic ex vna progenie fuere: & apud magnum Carolum merito magni habebantur. Qui ex eiusdem magni regis filia nomine Berchta Harnidum fratrem meum, & me Nithardum genuit* &c. Quod si nunc initium vitæ, quam *Vffingus* consignavit, rite pensitetur, facile constare potest, illum, cui Carolus M. Egbertum ægrotantem de meliori nota commendauit, Angilbertum fuisse. Patet namque ex huius elogio, quod Ariulfus Monachus delineauit, & doctissimus *Mabillonius Sæcul. IV. Bened. part. I.* publici iuris fecit, Angilbertum *primatem Capellanorum* esse factum. Cui summi Pontificis Hadriani epistola consonat, in qua *directum*, ait, *a vestra clementissima præcelsa regali potentia suscepimus fidelem familiarem vestrum, videlicet Engilbertum Abbatem & ministrum Capellæ, qui pene ab ipsis infantiæ rudimentis in palatio vestro enutritus est, & in omnibus consiliis vestris receptus.* Vffingus vero Idæ patrem in

summis

ſummis Franciæ occidentalis *primatibus* collocat. Quæ rationes ſi in vnum conferantur, mea ſane coniectura veri perſimilis redditur. Elucet enim exinde, quinam fuerint Idæ clariſſimi fratres? quis ille, quidam ex ſummis primatibus? quomodo tertio gradu, ſeu generationis vinculo Hadwidis Herfordienſis parthenonis Abbatiſſa Carolo Caluo fuerit coniuncta. Nec huic opinioni obſtare puto quidquam, niſi forſitan regeras, Angilberti filiam veteribus fuiſſe incognitam. Sed, quem auctorum antiquorum filias ſæpe omittentium peruerſa conſuetudo non latet, ille parum, credo, iſtud curabit obiectionis. Ipſe *Eginhartus* ac *Nithardus* filios Caroli M. rite, exacteque commemorant, filias vero vel omittunt, vel minus curate recenſent: vt alios taceam eiuſdem incuriæ reos pæne infinitos.

(f) Vixit D. Puſinna ſæculo Chriſti V. cum Barbari per Galliam infeſtis agminibus circumcurſiarent. Huius oſſa, atque reliquias cum multis poſt obitum miraculis inclareſcere dicerentur, adorare cœpit ſuperſtitioni nimium dedita antiquitas. Idque in cauſſa fuit, quare tandem ad Herfordienſe monaſterium exuuias Puſinnæ deuexerint, locoque ſuo Caroli Calui ætate motas in Baſilicam ſolenni ritu atque pompa, curante Hadwida, tranſtulerint. Tranſlationis hiſtoriam ex MS. Bodeccenſis monaſterii *Daniel Papebrocius* in Sanctorum Actis ad XXIII. Aprilis edidit atque ex eo rerum Brunſuicenſium Tomo *Leibnitius* propter momentum, ac breuitatem inſeruit.

(g) Mentionem quidem Eggeberti, ſed obſcure, facit *Regino* ad ann. 809. *Imperator* (Carolus) inquit, *poſtquam locus ciuitatis conſtituendæ fuerat exploratus*

ratus, Egobertum Comitem huic negotio exſequendo præficiens, Albiam traiicere, & locum iuſſit occupare. Eſt autem locus ſuper ripam Sturiæ fluminis vocabulo Eſſeluelt. Occupatus eſt itaque ab Eggeberto, & Comitibus Saxoniæ &c. Vir doctus hunc Eggebertum Witikindi filium dicit *Ioannis Lezneri* ſchemate Genealogiæ Witikindeæ MS. nixus: Sed dubito, an huic ſcriptori tuto fides queat haberi; qui auctoritate ſua Meibomium, alioſque viros celebres crebro decepit.

§. II.

Nobis interea ſat eſt, nec auum, patremque, nec auiam, matremque in hominum ignoratione verſari. Vt enim comperta ſunt Ludolphi (h) præclara facta, & probitatis monumenta (i): ita ad omnem poſteritatis memoriam durat Odæ (k) longæuæ (l) ſanctimonia, viuitque præſtantiſſima Ottonis filii (m) virtus, qua regnum promeruit, optimamque coniugem Haduidem (n) nobiliſſimo genere coortam propriis ſibi meritis conciliauit. Nec puto, in antiquis hiſtoriarum libris occurrere poſſe piam, quæ pluribus imaginibus, maiorumque veris titulis præfulgeat.

(h) Inclaruit ille Ludouici Germanici ætate, qui ſe Nortmannis fortius, quam Carolus auus, ac Ludouicus pater oppoſuit. Et his autem bellis Ludolphus bellicæ virtutis laudem obtinuit, quam *Roſwitha* Poetria metro complexa melioribus ſæculis commendauit.

Hic prænobilium natus de ſtirpe parentum,
Ortus quippe ſui reſpondens nobilitati

Mori-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [20] - 8
PUBLIC DOMAIN

Moribus egregiis vſuque ſuæ probitatis
Inter Saxones creuit laudabilis omnes:
Namque fuit ſtrenuus forma nimiumque decorus,
Prudens in verbis, in cunctis cautus agendis
Atque ſui generis ſolus ſpes & decus omnis.
Hinc nam Francorum magni Regis Hludouici
Militiæ primus adſcriptus pene ſub annis.
Ex ipſo digne ſummo ſublatus honore
Gentis Saxonum mox ſuſcepit Comitatum.
Ac cito maioris donatus munere iuris
Principibus ſit par, Ducibus ſed nec fuit impar;
Quique ſuos omnes vicit pietate parentes,
Non minus inſignis pompa vincebat honoris.

Quæ verba eo lubentius adſcripſi, quod honorum gradus, quibus adſcendit, inde innoteſcant. Primo enim Comitum numero, deinde Principum claſſi adſociatum commemorat. Ex quo occaſio mihi ſubnata eſt, inquirendi, quænam illo æuo inter Comitem ac Principem ſeu Ducem differentia inualuerit. Et puto, Comites in Saxonia plures fuiſſe, qui, vbi belli formido circumſtreperet, Ducis cuiuſdam imperium ſecuti ſint. Qui vero hoc officio fungeretur, principis nomine coruſcaſſe. Quod Witechindi Corbeienſis teſtimonio exiſtimo liquere. *Horum*, inquit, *pater erat Lupolphus &c. ex quibus Bruno cum Ducatum adminiſtraret, totius Saxoniæ duxit exercitum contra Danos.* In exercitu, ac legionibus autem alii inferiores ductores reperiuntur; quos vt Comitum loco habeam, reputemque, innumeri teſtes faciunt. Sed caue tamen animum inducas, Ducem totius territorii, aut Ducatus dominum fuiſſe. Neque enim eſt ita. Militiæ præfuit, Ducatumque,

veluti Prorex, contra barbarorum incurſiones defendit, & cum Comitibus adminiſtravit. Cui non repugnat, in Ludolphi poteſtate quædam etiam bona, prædia, fortunaſque exſtitiſſe, ex quibus Gandersheimenſe Gynæceum ſurrexerit. Neque enim id quiſquam negat, cum omnes fere nobiles præter beneficia aliquid pro ſuo poſſederint, habuerintque. Hoc quæritur, an precario beneficii titulo omnem Saxonici orbis oram tenuerit. Quod non niſi audaciſſimus, credo, adfirmabit. Nam quamuis ea, quam allegauimus Poetria, cecinerit:

Filius illius cuius dono Luidulphus
Suſcepit primum propriæ gentis dominatum;

non autumo tamen, aliud his verbis innui, quam Ludolphum Saxonum, ciuiumque ſuorum Ducem factum eſſe primum. Neque enim ad Philoſophiæ, iuriſque regulas exigunt Poetæ ſingulas, quibus vtuntur, voces: ut taceam *Roſwitham* Ottonis II. ætate ſcripſiſſe.

(i) Duo memoriæ occurrunt exempla. Vnum, quo Romam profectus tranſtulit reliquias Præſulum Anaſtaſii, & Innocentii a Sergio Papa impetratas: alterum, quo in pago Gandeſemigawi eccleſiam illis religionis Chriſtianæ defenſoribus conſecrauit. Quod ad prius, nemo fere veterum ſcriptorum eſt, qui illius tranſlationis non meminerit. Annales Fuldenſes, Freheriani, Witechindus, ac vitæ S. Berwardi Epiſcopi Hildeſienſis ſcriptor in præcipuis ſunt. Creditum enim iam eo eſt tempore, templorum ſplendori, atque ſecuritati aliquid ſane deeſſe, ſi ab ſanctorum oſſibus vacua forent relicta. Eo reſpicit Paulinus Petricorius Carm. XXIV. quem multi cum Nolano permiſcent:

Spe-

Spectant de superis altaria tota fenestris
Sub quibus intùs habent sanctorum corpora sedem,
Namque & Apostolici cineres sub cœlite mensa
Depositi.

Postea etiam portæ ecclesiæ aliquid subditum; vnde illæ consecratæ non minus, quam aræ: quod ex Ludouici Pii Capitulari constat; *si in atrio ecclesiæ, cuius porta reliquiis sanctorum consecrta est, huiusmodi homicidium perpetratum fuerit, simili modo emendetur, vel componatur.* (vid. Lib. IV. Capit. cap. XIII. edit. Baluz.) Augustioris sepulturæ nomine illam translationis pompam insigniebat superstitiosa ætas: vtpote cum defunctorum exuuiæ e communibus locis in sacra migrarent. Baronius iam Constantini ætate hunc inualuisse morem falso credidit; confutatus propterea a *Samuele Basnagio Annal. Pol. Eccles. Tom. II. p.* 835. Quæ res vtcumque se habeat, illud profecto clarum est, ac euidentibus documentis conspicuum, translationem Anastasii ac Innocentii, quæ a. IↃCCCLIII. ipso Ludolpho in diplomate fatente, facta dicitur, Gandesiensi Parthenoni originem dedisse. Nam, cum ei Ludouicus Romanorum Rex commendatitias litteras ad Sergium Pontificem dedisset, permisit hic quidem illi, vt corpora, quæ petiit, atque ossa in Saxoniam deueheret, dummodo vota, quibus se obstrinxit, & ex parte, cum adhuc Romæ ageret, persoluit, penitus dissolueret. Quæ vniversa itemque singula accuratius ex ipsis Ludolphi chartis perdiscuntur, quas omnium correctissime *Ioannes Georgius Leukfeldius* in antiquitatibus Gandesheimensibus p. 23. & 28. publici iuris fecit. Laudandus hic auctor est sane perdiligens, quod

Roſwitæ Poetriæ de Conſtructione cœnobii Gandersheimenſis carmen primus prælo ſubiecerit; deſideratum a multis, & lectitatum a paucis. Saliuam mihi primus mouit *Nicolaus Schatenus*, in cuius Annalibus Paderbornenſibus quædam inueni ἀποσπασμάτια. Dolendum eſt, *Henricum Leonhardum Schurzfleiſchium* fraternæ eruditionis æmulum illud Roſwitæ operibus nec adieciſſe, nec adiicere potuiſſe. Placet interea perutilis labor, quem a *Tenzelio* omiſſum reſumſit vir clariſſimus, noueque præfatione, quam ſcripſit, perdocta illuſtriorem reddidit. Vnum reſtat conſideratione noſtra haud indignum, quod Meibomius in notis ad Bodonis Syntagma aliorum induſtriæ expediendum reliquit. Ait enim Luitholffus Comes, litteras ſibi a Sergio Pontifice Maximo a Iɔccclıı. cum Romæ fuiſſet, eſſe datas. Atqui eo anno iam e viuis exceſſerat Sergius, ac Leo IV. Romanæ eccleſiæ Præſulem ſeptennio egerat. Vnde vel litteræ in mendo recubant; vel Pontificum chronologia mirum in modum foret turbata. Poſterius cum nequeat dici, prius ſane verum erit, reponenduſque annus Iɔccc XLIV. vel XLV. quo Sergius Gregorgio IV. ſuffectus, ſimulac Ludouicus Lotharii filius, cuius in litteris mentio fit, patris voluntate Rex Italiæ ac Romanorum appellatus eſt.

(k) Roſwita parentes Odæ feminæ longe illuſtriſſimæ his verbis deſignat:

Cui Coniux ergo fuerat prænobilis Oda,
Edita Francorum clara de ſtirpe parentum:
Filia Billungi *cuiuſdam principis almi,*
Atque bonæ famæ generoſæ ſcilicet Adæ.

Sed


Sed quis, quæso, ille Billungus? An forte Childebrandi, qui Caroli Martelli germanus in Supplemento *Fredegarii* ad a Ioccxxxix. dicitur, progeniem pertinet? Sane vero huic Nibelongus filius adsignatur. At disceptatum esse scimus inter *Chifletium*, atque *Blondellum*, *Espernonium*, *Iordanum*, aliosque viros doctissimos, vtrum Childebrandi ortus ad Longobardicam stirpem sit referendus, an Francicam? Prius *Chifletius* acriter defendit: posterius *Blondellus*, *Quercetanus*, ceterique fortius, quibus nos etiam adstipulamur. Qui enim *Fredegarii* Chronicon concinnauit, æqualis Childebrando, ac Nibelungo scriptor est: cuius auctoritas in his certe rebus esse videtur grauissima. Et huic autem *Chifletius* nihil, quod scio, oppositit, quod alicuius foret momenti. Neque enim adfirmare sufficit, *Germani* verbum ancipitis, ac multiplicis potestatis esse. Alleganda sunt prius loca clarissima, deinde ostendendum perspicue, an ea apud Anonymum significatio lateat? At fateor tamen, restare nonnihil obscuritatis, etiamsi Quercetani, ac Blondelli sententia argumentis omni luce clarioribus firmetur. Dubium enim est, & adhuc incompertum, quis Bilungus Odæ pater? Vt Childebrando natum pronunciemus, temporum rationes non patiuntur: vt nepotem dicamus, testimonia clara ac fide digna deficiunt. Illud satis spectatum est, atque certum, Nibelungum, cuius iussu *Fredegarii* Chronicon continuatum est, a Childebrando esse genitum, idque initium appendicis II. (*) ac finis I. plane euincunt. Hic autem virilem prolem Thietbertum seu Theutebertum reliquit; cuius filia Ingeltrudis Pipino Aquitaniæ Regi, Ludouici Pii filio, iusto matrimonio

fuit copulata. Quæ omnia *Dubouchetus de origine familiæ regiæ* ex charta eiuſdem Pipini luculenter probat, in qua vxorem ſuam *Ingeltrudem*, eiuſque patrem *Thetbertum*, auum *Nebelungum* vocat. Huius Thetberti ſuboles, *Adrevaldo* de *miraculis S. Benedicti* cap. XX. teſtante, Hodo ſeu Odo exſtitit, Aurelianorum Comes, cui Robertum fratrem attribuunt quam plures, ex quo Robertus, cognomento fortis deſcenderit. Id minus ambiguum eſt, fuiſſe plures Nibelongos a Childebrando oriundos. Dux *Eſpernonius* Nibelungo primo duos filios adſignat Childebrandum II. & Thietebertum. Ab hoc Childebrando Eccardum Comitem deducit, ab Eccardo Nibelungum II. Theodèberto Robertum filium tribuit, Hodonem omittit, qui tamen præ ceteris nominandus fuiſſet; vtpote quem *Aſtronomus* turbis inter Ludouicum Pium, eiuſque filios exortis implicatum, exilioq; a Pipino Aquitanico mulctatum commemorat, quod Bernhardi Septimaniæ, ac Toloſæ Ducis partes ſequeretur. Odonis filius Wilhelmus in *Annalibus Bertinianis* vocatur; ſed quem gladio feriri Carolus Caluus iuſſit conſanguineus, & affinis, vtpote qui Ermentrudem Odonis filiam in matrimonio habuit. Rectius meo iudicio *Eſpernonius* feciſſet, ſi Thetberto, ac Childebrando II. fratrem Nibelungum II. dediſſet, a quo fortaſſe tertius Nibelungus, ac inluſtris Oda ſunt procreati. Minimum Nebelungum nobilem Hasbanium ad a. Ibcccvi. inuenio, quo *domino ſancto & venerabili in Chriſto patri Abbati Fardulpho; vel omni congregationi baſilicæ Domini Dionyſii, vbi ipſe cum ſociis quieſcit, res quaſdam proprietatis ſuæ in pago Hasbanio ſitas in loco, qui vocatur Haſca ſuper fluuium*

uium Lachara, largitus est in luminaria ecclesiæ, & in stipendia Monachorum anno trigesimo septimo Caroli glorioſi Regis, eiusdemque imperii anno quinto, IV. Nonas Aprilis. Quæ, niſi me animus fallat, Nibelungi II. ætati ac rebus optime congruunt, inprimis ſi *Blondelli* Adſert. Plen. p. 52. obſeruatio addatur, qui Childebrandum Roberti Haſbanii affinem fuiſſe credidit, vnde Robertorum nomina in Childebrandi familiam ſint inuecta. Oda vero iam a Iɔccɔvi. a natura propriam lucem accepit. Igitur tertio Nibelungo ad huius genus demonſtrandum opus non eſt, quamuis ſolertiſſimus *Leibnitius* huic inprimis tam illuſtrem filiam attribuerit. Credo tertium Nibelungum Odæ fratrem, eiuſdemq; vteri pondus fuiſſe; quem ſi recte coniicio a Iɔccclxxxvii. paullo ante Caroli Craſſi deiectionem Kalendis Aprilis in Synodo Colonienſi reperio, ac deprehendo. Huic enim concilio vna cum ſex Epiſcopis Abbates quoque interfuerunt, Nebelongus, puta, Indenſis, (**) Andulphus Werdinenſis, & Folcharius Aquiſgrani palatii Abbas, vt contra inuaſores rerum, quæ eccleſiis ſunt donatæ, conſilia agitarent, iisque in vnum collatis vim atque momentum adiicerent. Euidentioris doctrinæ cuſſa ſtemma Childebrandinum, vt exſtat fere apud *Blondellum* ſagaciſſimi ingenii virum Genealog. Franc. Plen. Adſert. p. 228. ſubiiciam.

Pipi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [27] - 15
PUBLIC DOMAIN



Notatu interea dignum videtur Espernonium, alioſque ſine cauſſa, ac ratione ex Matricenſibus his Comitibus Matiſconenſes, aut Mediomatricenſes effeciſſe. Sane Annales *Eginharto* adſcripti ad a. Ioccccxxii. Thietbertum Comitem Matricenſem appellant. Pagus vero Matricenſis ab vrbe Ebroicis & Ittone amne ad Aruam fluuium (Aure), & ad Sequanam flumen Vernonemque oppidum pertinuiſſe dicitur. Quod, vt recte intelligatur *Sammarthanorum Fratrum* † verba adiiciam: *Le Comté de Matrie, que ce Prince poſſeda, & en porta le titre, eſt ſitué dans la Province de Normandie au dioceſe d'Eureux & aux enuirons de la riuiere d'Eure, & meſmes s'eſtendoit iuſque à trois ou quatre lieues de Paris. Mais comme toutes les choſes d'ici bas ſont ſuiettes à diuerſes mutations, &*

† *Hiſtoir. Genealog. de la Maiſ. de Fr. Tom. I. p.* 410.

& viciſſitudes, ce nom Matrie, par laps de tems eſt eſteint, & a changé; le nom Latin de Matricum, ayant eſté mal pris par aucuns pour la ville de Maſcon, & par d'autres pour celle de Metz. Toutes fois aucuns titres, qui ſe trouvent encore dans quelques Monaſteres proches, font expreſſe mention de ce Comté, & pays de Matrie. Omnium labores in hac re *Blondellus* ſuperauit; poſteaquam contra *Chiffletium* exacte oſtendit, Matricenſem pagum rebus non exiſtentibus perperam accenſeri.

(*) Ne quis decipiatur, animadvertendum eſt, vulgare Fredegarii Chronicon vſque ad cap. XCI. pertingere. Quæ ſequuntur vſque ad Caroli Martelli mortem, alii auctori adſcribenda ſunt. Poſt hanc continuationem ſubiicitur Appendix prima iuſſu Childebrandi Comitis ſcripta, atque in electione ac conſecratione Pipini abſoluitur. Hanc excipit Appendix altera, Nibelungo Childebrandi filio hortatore, atque auctore confecta, inque morte eiuſdem Pipini Regis terminatur. Quæ uniuerſa nemo accuratius Antonio Pagio excuſſit Crit. H. C. in Annal. Baron. Tom. III. p. 229. n. II. & p. 230. n. IV. ac V.

(**) Appellatur Indenſis a Cœnobio Indenſi S. Cornelii, (Cornelius Münſter) quod prope Aquis granum reperitur. Neſcio annon Neuelungus Indenſis Abbas idem ſit cum Niuelungo Miſſo Caroli Calui, de quo Capitula huius Regis apud Quercetanum Scriptor. Franc. Tom. II. p. 421. mentionem faciunt.

(1) Longæuam dico, quia longioris æui vitam ſortita eſt, ſpiritumque ſuum vſque ad tempora Conradi I. prorogauit. Deceſſit enim anno vitæ ſuæ centeſimo ſeptimo; quod Roſwitha claro ſatis ſenſu expreſſit:

Oda nimis felix noſtri ſpes & dominatrix
Quum decies denos ſeptem quoque vixerat annos
Vitam ſine bono conſumens tranſit ad aſtra &c.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [29] - 17
PUBLIC DOMAIN

Non poſſum non, dum memoria eius rei incidit, & occaſio datur, tria clariſſimi *Mabillonii* σφάλματα notare, vtpote qui Annalium Benedictinorum *Tom. III. p.* 350. Odam biennio ante Ottonem filium diem ſuum obiiſſe, huncque anno demum CMXIV. fatis conceſſiſſe, ſcripſit. Namque ad liquidum nunc perduci poteſt, Odam turbato mortalitatis ordine filii funus extuliſſe, huncque, ſi appendici *Reginonis* fides eſt a. CMXII. mortem oppetiiſſe: cuius ſcriptoris auctoritatem recentiorum ſententiis potiorem duco, qui anno demum ſequenti obitum Ottonis referunt, aut ad annum XIV. quid? quod XVI. ſupra nongenteſimum collocant. Prius vero, nempe quod filio ſupervixerit, eadem *Roſwitha* adfirmat, ac extra dubitationis aleam ponit.

Hic igitur (Otto) *talis præclaræ vir pietatis,*
Qui plus vrbicolis tribuit bona talia noſtris,
Morte ſui matrem noſtri dominamque potentem
Præueniendo prior vetiti pro crimine poni *
Quod protoplaſti deguſtauere parentes
Exuitur membris limoſo ſtamine textis
Proh dolor, atque ſeris [*] *clauſit ſua lumina mortis,* **
Cœtu noſtrorum circumuallante ſororum
Pernimio Domini fletu lectum morituri.

* Lege *pomi.*

[*] Lege *ſera.*

** Lege *morte.*

Ex quo amplius manifeſtum redditur, Ottonem Ducem in Cœnobio Gandersheimenſi vltimum ſpiritum reddidiſſe: Odam vero anno demum nongenteſimo decimo tertio longiſſima ſtatione mortali perfunctam eſſe; ſiquidem verum eſt, II. Kalendas Decembreis anni CMXII. Ottonem ex hac vita migraſſe-

(m) Cer-

(m) Certa huius rei apud veteres quoſcumque memoria eſt, vt ſuperſedere merito pluribus allegandis locis poſſimus. Commendamus tamen, atque laudamus *Rythmicum Chronicon*, quod ante multas iam ætates de Gandeſienſis cœnobii origine *Eberhardus* quidam *Canonicus* latine conſcriptum in Saxonicum ſermonem ſæculo XIII. convertit, editum nunc primum ab induſtrio *Leukfeldio*. In illo feſtiue ſætis vuiuerſa, quæ ad Ottonis Ducis electionem pertinent, propoſita ſunt; nec quemquam, puto, conſilii mei, ſi legerit, pœnitebit.

(n) Magnum eſt, multiſque controuerſiis implicatum, quod conamur explicare. *Cranzius*, & ex eo, quod miror, *Nicolaus Schatenus* Ottonis Illuſtris coniugem Lucardam nominant, Arnulphi Imperatoris filiam, nullius συγχρόνου ſcriptoris teſtimonio ſuffulti. Illud veritati congruum eſt, Ludouicum Iuniorem Ottonis ſorori Luitgardæ coniugali fœdere fuiſſe coniunctum. Nonnulli Henrici Aucupis matrem Mathildem vocant, vxorem cum illa miſcentes, ac confundentes. Nos Hadwidis nomine inſigniuimus, Ditmaro Merſeburgenſi præeunte edit. Leibnit. p. 324. *Hic* (Henricus) *nobiliſſimo*, inquit, *Ottonis & Hattui ſtemmate editus, vt arbor occulta excreuit a puero* &c. quo cum anonymus vitæ *Mathildæ* ſcriptor conſpirat. Sed vnde illa originem trahat, animi pendent, atque diſcrepant. Plerique Arnulpho natam adfirmant; quod tamen minus videtur credibile. Nam anno octingenteſimo ſeptuageſimo & quinto iam Henricus Auceps in cunabulis fuit, quo tempore Ludouicus Germanicus adhuc in viuis egit, Arnulpho obſcura ſpe, cœcaque exſpectatione in Carentanorum prouincia hærente. Quocirco

circo a falso proxime absunt, qui Hadwidam ex Arnulphi stirpe prosatam quærentibus obtrudunt, Sanior *Blondelli* coniectura est, Ludouico Germanico natam aientis. Etsi enim neque *Bertiniani*, neque *Metenses* Annales huic Regi filias tribuunt, contenti, retulisse Carolomannum, Carolum, & Ludouicum filios: est tamen aliunde notum, patetque ex chartis antiquis eidem nec filiarum defuisse stirpem. Certe Hildegarda Ludouici filia appellitatur, cui Tigurinum cœnobium veluti rem mancipi tradidit pater, simulque, vt est in membrana a *Conringio in Censura Diplomatis Ludouiciani, p. 55.* repetita, iniunxit, vt illud *disciplinis regularibus & obseruatione monasteriali informare pergat.* Hanc vero Bertha soror excepit, cui ex charta Henrici IV. quam *Brunnerus* allegat, Ermengardis Chimensis Parthenonis in Bauaria antistes adiicienda foret, si hæc natura atque numero ab Hildegarda fuisset disiuncta. At clarum ex *Reginone* est, Hildegardam ac Ermengardam vnam esse eandemque. *Per id tempus* inquit ad a. Ɔccccxciii, *Hildegardis filia Ludouici Regis, fratris Carolomanni & Caroli, a quibusdam coram Arnolpho accusata, regiis possessionibus priuatur; & priuata in exilium destinatur, in monasterio puellarum* quod Chemissem *dicitur: sed non multum post temporis in gratiam rediit & sua ex maiori parte recepit.* Vnde argumento manifesto satis concluditur, vacillare eorum opinionem, qui Ludouicum Germanicum sequioris sexus prole destitutum, aut vnica tantum Ermengarda cum Brunnero, scriptore Boio, aut Hildegarda cum Sammarthanis fratribus eiusdem thalamum fœcundant. Peccatur, credo, in vtram-que

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [32] - 20
PUBLIC DOMAIN

que partem, nec inter modicum ſubſiſtitur, ac nimium. *Elias Reuſnerus* ac *Henningeſius* Placidiam, Mathildam, Luitgardam præter Hildegardam, ac Bertham progeniei Ludouici TranſRhenenſis minus congrue inſerunt, omiſſa Hadwida vxore Ottonis Saxonis; ſed quæ tamen ad Carolingorum ſtemma plerorumque ſuffragiis videtur pertinere. Inde enim eſt, quod hiſtoriarum auctores veteres Henricum Saxonem ex proſapia Caroli deriuauerint, matrem ei Ludouici ſororem adſignantes. *Huldericum Mutium* † hic nominabo, itemque *Ioannem Nauclerum* †† qui talia ſeſe in antiquis monumentis inueniſſe ac legiſſe ingenue profitentur. Quæ cum non intelexiſſet *Ioannes Conradus Dietericus* Hiſtoriarum apud Gieſenſes Profeſſor in præclara, quam de Henrico Aucupe confecit, diſſertatione, abſone is collegit, pro Ludouico tertio ſubſtituendum eſſe quartum, quod Ottonis coniugem Ludouici Infantis ſororem cum *Mutio* præcipiti conſilio crederet. Sed ſalua res eſt. Erat Hadwidis Ludouici Iunioris, ordine tertii ſoror, Ludouici TransRhenenſis, vt eum appellitarunt ſcriptores Gallici, filia: noſtri Germanicum vocant. Ex quo caput, atque fontem erroris antea a nobis oſtenſi, licet, colligas, quo *Cranzius*, atque *Schatenus* inducti lecti ſociam Ottonis filiam Arnulphi ſcripſerunt. Nam cum illam pro ſorore Ludouici Infantis praue reputaverint, factum eſt, vt Arnulpho natam invitis faſtis pronunciarent. Enimuero quod nos adfirmauimus, & temporum rationibus exiſtimamus congruere, & propenſo Ludouici in Ludolphum, eiusque progeniem animo, de quo ſupra quædam attulimus non ſpernenda.

† hic *Chron. lib. XII. p. 94.*

†† qui talia *Genealexiſſet rat. XXXI. f. 117.* 724

§. III.

Ab eiusmodi parentibus Henricus educatus, inſtitutus eſt, atque moratus; cumque ea incidiſſent reipublicæ tempora, quibus non niſi per arma laboranti patriæ ſubueniri potuerit, credibile eſt, eum a primis ſtatim annis iis fuiſſe artibus adſuefactum, quæ corpus non tantum, quod robuſtum a natura accepit, firmius atque valentius redderent, verum etiam animum alacriorem, & ad res ſtrenue gerendas promtiorem efficerent. De ingenuis diſciplinis, quibus dediſſet operam, nihil in veterum memoriis occurrit: quin dubium adhuc eſt, vtrum litteras ſciuerit? Refert enim Witechindus (o) Ottonem Henrici noſtri filium poſt mortem Edithæ reginæ prima litterarum elementa, quæ antea neſciebat, ita didiciſſe, vt facile quoſque libros legeret, ac intelligeret. Quis igitur ſibi perſuadeat, patrem Ottonis inter arma natum ac educatum liberalium artium ſtudiis mentem perpoliuiſſe? Et mea quidem opinione illa virtutis præſidia atque decora, illud inuictum animi robur, illæ prudentiæ opes, quibus eum natura, optimique parentis exemplum ditauit, ad pacem Saxoniæ procurandam ſufficiebant. Quippe doctrina haud raro animum emollit, illamque fortitudinis vim, atque alacritatem infringit, ac ſupprimit. Conſilio, præclaris factis, virtutum diſciplina, populi ſalus, atque dignitas defenditur; librorum ſupellex, latinique idiomatis perfecta ſcientia ad depellendos hoſtes, ad ſubiectos in fide continendos, ad ſtatum ciuitatis retinendum atque conſervandum parum aut nihil conferunt. Fac enim, Henricum Ludouico Pio perſimilem, omnium Muſarum rationem habuiſſe; quis perniciem ea ratione depelli, quis impia

impia hiſce rebus a Patriæ finibus arceri potuiſſe bella exiſtimet? Alio profecto ad ſæculi turbas compeſcendas Principe opus erat, cuius præcellens gloria ac præſtantiſſima virtus Hungaros in Teutoniæ exitium conſpirantes domaret, atque compeſceret. Hoc Corbeienſis Monachus (p) ceterique hiſtoriarum auctores (q) præclare animaduerterunt; hoc patres noſtri obſeruarunt; iſtud nos quoque intelligimus, & ad poſteritatis memoriam denuo inculcamus.

(o) Lib. II. Annal. p. 650. edit. Meibom. *Ingenium ei, (Ottoni) admodum mirandum: nam poſt mortem Editis reginæ cum ante neſciuerit litteras, in tantum didicit, vt pleniter libros legere & intelligere nouerit.*

(p) Lib. Annal. I. p. 654. hæc notatu digna verba inueniuntur. *Natus eſt autem Ottoni filius toti mundo neceſſarius regum maximus optimus Henricus, qui primus libera poteſtate regnauit in Saxonia: qui cum prima ætate omni genere virtutum vitam ſuam ornaret, de die in diem proficiebat præcellenti prudentia, & omnium bonarum artium gloria: nam maximum ei ab adoleſcentia ſtudium erat in glorificando gentem ſuam, & pacem confirmando in omni poteſtate ſua.*

(q) Vnius Ditmari teſtimonium adſcribam p. 324. *Ab Henrico ſumatur exordium, qui prædictæ ciuitatis adpertinentia multorum ius tunc reſpicientia vniuit, maioraque his multum ſua virtute & induſtria ſubegit. Hic nobiliſſimo Ottonis & Hathui ſtemmate editus, vt arbor exculta excreuit a puero, & vt bonæ indolis gradatim enituit tiro, ſicut flos in vere noue.*

§. IV.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [35] - 23
PUBLIC DOMAIN

§. IV.

Itaque minime nobis mirandum videtur, hunc Principem nemorum luſtra peragraſſe; ſiluarumque exitus difficiles explorando frigus, æſtum, laſſitudinem multaque alia incommoda perferenda ſibi duxiſſe, quæ ad bellicos vſus, militaremque diſciplinam corpus indurant. Conſtans etiam veterum voluminum (r) traditio eſt, eum, cum ad imperii ſolium eueheretur, auiculis inſidias molitum neſcio quem ſaltum obſediſſe. Monſtrant hodienum ad radices montis, in quo arx Stauffenbergenſis ſtetit, huius rei veſtigia, illumque locum vbi ſceptra Eberhardus eidem attuliſſe fertur, aream aucupatoriam, (den Fincken-Heerd) itemque ſeceſſum Henrici appellant; vt cetera ſigna ſilentio inuoluamus, quæ circa Brunouicenſe caſtrum ante decem, & quod excurrit, luſtra omnium adhuc oculis patuerunt.

(r) Siffridum Preſbyterum teſtem appello. *Iſte*, ait, *dicebatur auceps, quia, dum caperet auiculas, renitens electus eſt.* Adde *Chron. M. Belg.* ad annum 918. cuius auctor, etſi nouitius videatur, priſcos tamen rerum patriarum commentarios ſolerti induſtria peruoluit, &, vt patet, ſumma fide adiectis haud raro auctoribus excerpſit. Nec ſpernendi ſunt, quos *Godefridus Viterbienſis* ad poſteros hac de re propagauit ingenii luſus.

§. V.

Inter has corporis exercitationes, bellicosque labores eam ſibi nominis famam adquiſiuit fortiſſimus adoleſcens, vt pater ſenio confectus exercitum illi contra Dalemincios committeret, quos ita attriuit, vt Hungaros

garos in auxilium vocarent barbari, ne primo ſtatim impetu ſubruti extrema paterentur (s). Daleminciorum autem regio inter Albim, & fluuium Caminizi, quam Slaui Glomazi appellarunt, a Ditmaro (t) collocatur. Sigebertus Gemblacenſis, Conradus Vrſpergenſis, Albertus Cranzius aliique inepte Dalemincios cum Dalmatis (v) miſcent. Quid? quod ipſe Witechindus peruerſe Dalamanticos nominat. Eſt enim auctore eodem Merſeburgenſi Præſule cognitum, in lingua teutonica vocabuli originem deliteſcere. Quod, etſi Albinus, Fabricius, Meibomius bene obſeruant, opinionibus tamen circa verbi notationem diſcordant (x). Ego ante omnia animaduertendum eſſe puto, non omnes Miſniæ populos Daleminciorum pago (y) fuiſſe concluſos. Nominantur alii huic finitimi tractus, in quibus pagi Niſeni & Mogellani (z) ex præcipuis ſunt (a); vt inferiorem Miſniæ oram prætermittam, cuius termini Thuringiam verſus longe lateque excurrunt. Quamobrem bina expendi vocabula velim, videlicet *deelen*, quod diuidere ſignificat; deinde *Kaminizi* fluuium; ita, vt ex illis compoſitum Deleminzi nomen populum, ſeu territorium ſonet a ceteris pagis flumine Kaminizi diſiunctum. Cui etiam Slauicum Glomazi conſonat. Eſt enim ab *Caſpare Henrico Graunio* (b) iamdudum memoriæ proditum, *Lummati* Venedico ſermone idem valere ac rumpere, frangere (c). Quæ ſi aptentur, quam primus produco, coniecturæ, omnia ſane perſpicue patent; ac ſatis liquido, quoad in his rebus fieri poteſt, intelliguntur.

(s) Witechindus Lib. Annal. I. p. 634. *Pater autem videns prudentiam adoleſcentis, & conſilii magnitudi-*

tudinem, reliquit ei exercitum, & militiam aduerſus Dalamantiam, contra quos Deus ipſe militauit. Dalamanti vero impetum ipſius ferre non valentes, conduxerunt aduerſus eum Auares, quos modo Vngaros vocamus, gentem bello aſperrimam.

(t) p. 314. edit. Leibn.

† *Reinerus Reineccius; huius erroris reus eſt una cum Albino familiari.*

(v) Pertinet hæc etymologia ad *illorum*† ſomnia, qui Saxones a Sacis Aſiæ populis & Miſnenſes ex Mœſia, ſeu Myſia deducunt. Simili errore *Eraſmus Stella* †† laborat ab *Albino* iam confutatus, qui Helmanticos, ſeu Helmiones ad Deleminciam trahit, ac Ptolomæi Celmantiam in ripa Danubii quærit. Vid. *Albini Chron. Miſn.* tit. VII. p. 78.

†† *In Comment. de Rebus & populis priſcis oræ inter Salam, & Albim. P. I.*

(x) *Albinus* l. c. a Germanica voce, quæ vallem ſignificat, deriuat; tametſi in vniuerſa Dalemincia vix compareat vallis. Quare cum idem in Henrici IV. litteris *Telemenche* reperiret, iudicauit, fortes ſtrenuoſque viros iſto forte vocabulo indicari. *Meibomius* in notis ad *Witechindum* ab hominibus elegantiforma conſpicuis ſic nominatos Dalemincios credidit. Alii ad oppidum Dalem hærent, ibique vocabuli medullam, vt cum *Gellio* loquar, detegunt. Omnes, niſi fallor, abſone, & minus ad rem.

(y) Perexigui enim, aut ſaltem permodici ſpatii fuiſſe, inde conficitur, quod *Ditmarus Lib. IV.* vno die igne ferroque totum hunc pagum a Bohemis deuaſtatum adfirmet.

(z) Illuſtre in hanc rem teſtimonium idem *Ditmarus* Lib. V. adfert de Henrici Ducis itinere verba faciens. *Poſt hæc*, inquit, *Henricus Bozlaum Ducem Boiemorum cum ſuis adiit, honorificeque ab eo ſuſceptus cum exercitu eiuſdem a finibus ſuis per Niſeni & Deleminci pagos vſque ad Mogelini ducitur.* Prior Miſniæ ſuperioris partem & Luſatiæ com-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [38] - 26
PUBLIC DOMAIN

comprehendit; quod *Graunius* in Dissert. de Dalemincia Slavorum ex chartis atque diplomatibus litt. k. clarum satis reddidit. Posterior Mogellini pagus eo loco occurrit, vbi Dalemincia finitur, nouamque regionem describit, in qua oppidum Mügeln hodienum antiquitatis vestigia seruat. Habemus *Valentini Lossii* Chronicon Lomacense, itemque Mogellanum *Fiedleri*, sed qui tamen Albinum fere in antiquis κατὰ πόδα sequuntur.

(a) Inde Delecaminizi, Dalemінci, Deleminzi. Nam *deelen* & *daalen*, seu *taalen* vnum atque idem notant. Quod lex Allemannica titulo xxxiv. satis firmat: *Si quis præsumserit inter prouinciam res Ducis inuadere, & ipsas talare, & post hæc conuictus fuerit: quidquid ibi taltum fuerit,* (intellige, abstractum, separatum) *tripliciter restituant.* Itaque perinde est, ac si Slaui Chemnitii amnem fluuium finitorem dixissent. Sed quare vero, inquis, in Misniæ prouincia, ubi Slaui habitarunt, teutonica vocabula occurrunt? quare non potius Slauica tantum? Et puto, Delemincios veterum Saxonum coloniam fuisse, qui Venedis permixti in superstitione vicinarum gentium perseuerarunt, alieni a Christianorum sacris; sicuti Lusi, Bohemi, Heuelli, Sorabi. Accedit, quod præsumta opinio sit, in Bohemia, Silesia, Misnia, Vandalia veteres colonos omnes funditus esse deletos. Remansit ingens eorum numerus, quamuis Slauorum gentes iis iugum imposuerint. Quod præclare admodum ab *Martino Hanckio* de Silesiorum rebus annotatum meminimus.

(b) Conscripsit auctor dissertationem de Dalemincia Slauorum cum adhuc Witebergæ ageret; quæ cum quæreretur, & in tabernis librariis raro com-

pareret, fecit *Christianus Franciscus Paullini* Medicus pereruditus, vt illa cum tractatu de Pagis antiquæ præsertim Germaniæ denuo recuderetur.

(c) Vnde concidit *Albini* coniectura, qui ab cauatis & abruptis viis Glomazi nomen duxit.

§. VI.

Etsi vero armorum clangori, belliciſque tumultibus sic adsuefiebat Henrici animus, vt in acie versari, et ante Saxonum legiones Ducis munia obire ei ludus esset; non erat is tamen adeo ferrei corporis, atque ingenii, vt ne amoris igniculos persentisceret, vinumque auidius sumeret (d). Refert Ditmarus, eum Hateburgam (e) Altstættensis Dynastæ filiam, sed quæ vidua erat velata, (f) effusis caritatis habenis dilexisse. Quod cum Sigismundus (g) Halberstadiensis ecclesiæ Præsul iniquo animo ferret, eumque anathematis vinculis constringeret; factum est, vt a Conrado Rege suppetias peteret ad iras Sigismundi regia auctoritate sedandas (h). Cuius voti, vbi se compotem vidisset, tum vero deferbuit paullatim amor, atque aliorsum dilapsus est, quamquam ex Hateburga Tancmarum (i) filium sustulerit.

(d) Homo animal est, ergo vivit, atque sentit, recta argumentatio est. Saxo est, ergo vinum meracius non facile adspernatur, bona forte illatio est: ceterum non euidentissima; ita vt nihil opus sit ad consequentiæ veritatem agnoscendam. Sed indulsit tamen Henricus Saxo nonnihil Baccho: amauit vinum patrium, nescio an etiam alienigenam, nescio an ad vini similitudinem ex frumento vel hordeo expressum liquorem? Illud *Ditmari* testimonio p. 329. constat, Henricum in cœna domini grauatam

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [40] - 28
PUBLIC DOMAIN

uatam ebrietate mentem circumtuliſſe; quod Hiſtoricus eo fine litteris conſignauit, multiſque verbis deſcripſit, vt poſt futuri cognoſcerent, quanta ſit naturæ humanæ ad peccandum procliuitas, quantumque flagitium die tam feſto temulentiæ quodam impetu abripi. Cetera, quæ adfert, fabulis merito accenſentur, quibus haud raro indulget Merſeburgenſis Antiſtes.

(e) Verbis Ditmari p. 325. rem amplius referam. *Interim cuiuſdam matronæ famam, quæ Hatheburch dicebatur, Henricus comperiens, qualiter eam ſibi ſociaret iuuenili exarſit amore. Hæc erat filia Eruini ſenioris, qui in vrbe, quam* antiquam *ciuitatem nominamus, maximam tenuit partem, & quia is filium non habuit geminis filiabus ſuis e medio decedens, reliquit. Ob huius pulchritudinem, & hereditatis diuitiarumque vtilitatem internuncios Henricus quam propere miſit, & quamuis hanc eſſe viduam ſciret velatam, ſuæ tamen vt ſatisfaceret voluntati, eam fide promiſſa petiuit. Tunc illa multorum precibus & conſilio deuicta comitatur, honorifice ſuſcepta, ac charitatiue a ſuis, vt decuit, eſt habita. Nuptiis ex more peractis ſponſus cum conthorali ad Merſepurg venit, omneſque conuocans vicinos, quia vir fuit illuſtris, tanta familiaritate adiunxit, vt quaſi amicum diligerent, & vt dominum honorarent.* Quæ, licet prolixiora, propterea allegaui, vt pateret primum Erwini Satrapæ bona, quæ in veteri ciuitate poſſidebat, libera ab omni nexu, hoc eſt, allodialia, vt Franci, Saxoneſque loquebantur, fuiſſe: alias enim ad feminas tranſire non potuiſſent: deinde, vt cognoſceretur erroris fundamentum, quo quidam abrepti Hateburgam pro Comitis Merſeburgen-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [41] - 29
PUBLIC DOMAIN

sis filia venditarunt. Merseburgi equidem nuptiis dictus est dies: inde autem non conficitur, vt illud oppidum ab formosa Hateburga in dotem illustri sponso sit adlatum. Nonnulli Altenburgensis Comitis filiam putarunt: sed erat ea ætate Altenburgum in Osterlandia in manibus Slauorum.

(f) Velum fuisse virginitatis insigne Cæsar Baronius Annal. Lib. LVII. n. 54. præter rationem contendit. Nam ea sane virginitatis nota esse non potest, quæ mulierum est omnium communis. At verum esse posterius inde, credo, constare potest, quod virgines sese ab velandi necessitate esse semper immunes voluerint, velumque pro matrimonii signo habuerint, sicuti e *Tertulliani cap. IV. de velanda virginitate*, itemque *Valerii Maximi* Lib. VI. cap. III. n. 9. luculentissime potest probari. Itaque exactius inquirendum est, quid viduæ velatæ nomine intellexerint veteres, & in illis præcipue *Ditmarus* qui eiusscemodi peplo Hateburgam circumdedit. Et puto autem, non aliud tali signo quam nuptias indicari. Nuptiæ vero etiam sacræ dantur; ac iuris prorsus diuini. Quæ enim ea ratione,

Sparsos religant crines & vultibus addunt flammea.

Christo nubere censentur. Hinc velum, quo virginum consecratarum caput obnubebatur, Christi flammeum *Hieronymus* appellauit: quid? quod ipsæ nuptiæ ab obnubendo sunt dictæ. Iam vero quemadmodum matrimonium ob sacerdotis vocem, pactumque legitimo modo initum non nisi morte dissoluitur; ita quæ sese Deo dicauit puella, aut vidua, solennique ritu Christi coniugio addicta est,

est, & consecrata, ab inito semel fœdere, pactoque clarissimo resilire pro lubitu non potest. Qua de re etiam in Lib. V. Capitularium Francic. c. CXIII. lex memorabilis exstat. *Qualicumque modo mulier, permittente Canonice viro suo, aut eo defuncto, velum sanctum in caput acceperit, aut sponte, aut inuita, in eo permaneat omnino, nec dimittat.* Hoc quamquam est intelligendum de viduis sponte velum suscipientibus; aut etiam de iis, quæ adulterii convictæ, volente marito in monasterium sunt detrusæ; apparet tamen exinde, nec ad secundas nuptias eiusmodi feminam potuisse progredi, nec flammeum illud sacrum deponere. *Stephanus Baluzius* vir eruditionis gloria florentissimus in notis ad *Agobardum* p. 135. illustre de femina quadam Longobardica exemplum attulit; quod cum in illa fere tempora incidat, quibus Hateburga vitam vixit, non dubitamus certe, quin præsenti argumento lucem insignem sit allaturum.

(g) *Hic*, inquit Ditmarus p. 325. *pietate maxima, &, quod summum est perfectionis culmen, Christi Zelo feruens, vt perpetrati facinus connubii primo audiuit, ouium culpam suarum ingemuit, & aliquam inter se fieri amplius commixtionem per internuncium, & per epistolam banno apostolicæ auctoritatis interdicens ad conictam ambos synodum vocauit.* At quæritur, quo iure, quaue iniuria id fecerit Sigismundus? Fuit, cum putarem, Halberstadiensem Præsulem aliquid immodicæ ambitioni dedisse. Verumtamen in erroris insidias incidi; cum Ecclesiasticis ille legibus innixus, non nisi, quod sui erat officii, fecerit. Afferam in hanc rem ex Capitularium Lib. VI. c. CCCXI. *edit. Baluz.* Tom. I. p. 1005. *Vt deinceps sicut canones ecclesiastici*

ſiaſtici prohibent, nullus Deo deuotam virginem, nullus ſub religionis habitu conſiſtentem, ſiue viduitatis continentiam profeſſam, vel ſui proximam generis, aut etiam de cuius admixtione inceſtiuæ notam poſſit ſubire infamiæ, inclito connubio aut vi aut conſenſu accipiat coniugem; quia nec verum poterit eſſe coniugium, quod a meliori propoſito deducitur ad deterius, & ſub falſi nominis copula inceſtiva pollutione & formicationis immunditia perpetratur. Hoc vero nefas ſi agere amodo cuiuslibet gentis homines, ſexus vtriuſque tentauerint, inſiſtente ſacerdote *vel iudice, etiamſi nullus accuſator ſit, omnimodis ſeparati, exilio perpetuo relegentur; nec aliqua indefinitione ſui, quouſque vixerint, longitudine temporis excuſentur.* Ex quo manifeſtum euadit, quare poſtea Tancmarus Hateburga natus naturalium liberorum claſſi accenſus, & pater cum proprio, tum aliorum conſilio ſit inductus, vt coniugem contra ius ac fas in thalamum receptam dimitteret. Quæ vero ſic ducitur, ac rurſus dimittitur, ſtilo eccleſiæ concubina eſt.

(h) Pergit Ditmarus: *Henricus tali rumore turbatus ad Imperatorem properauit, omnemque indicans ei rem ordine auxilium eius petiuit, & quia familiaris ei fuit, & patris commiſſo, ac fideli ſeruitio, impetrauit.* Memorabilis locus, ex quo tria notatu digna deriuamus. Manifeſti namque erroris nunc conuincuntur, qui nihil Conrado Regi poteſtatis in Saxoniæ prouincia tribuunt, eumque ad Allemanniæ, ac Franciæ, fines relegant. Quod ſicut iam in illa, quam de Conrado I. Franciæ Orientalis Rege conſcripſi, diſſertatione validis rationibus confutaui; ita deficientibus exemplis eam auctio-

auctiorem propediem, nouoque argumentorum robore suffultam typis exscribi denuo curabo, ne qua dubitationis, aut gloriæ caussa contradicentibus superstit. Altera obseruatio ad ius regium circa matrimoniorum caussas pertinet. Nondum enim ea ætate Romanus Pontifex in eiusmodi controuersiis decidendis primas sibi partes adseruit. Ipsi Reges cum Episcopis suis ac Proceribus consilia inibant, si quæ aberratio contigisset. In ea opinione omnes fere Lotharingiæ Præsules erant, ac ipse Ludouicus Germanicus, itemq; Ludouicus Imperator, cum de iniusto Lotharii Regis cum Theutberga diuortio disceptaretur; ac Nicolaus Papa legatos. Lotharii indignis modis tractaret. Occurrunt in Annalibus *Bertinianis* ad a. IↃCCCLXIV. egregia momenta, vnde colligi luculenter potest, quantis machinis, atque insidiis Pontifex opus habuerit ad auctoritatem in caussa Lotharii sibi conciliandam. *Hincmarus Rhemensis* vero, qui peculiarem de diuortio Lotharii & Theutbergæ Reginæ librum scripsit, adeo circumspecte in hoc negotio incedit, vt cuiuis facile innotescat, eum Pontificis auctoritati ne quidquam fauisse. Igitur non erat, quare Conradus aliam in hac re viam iniret, ac peregrini sacerdotis consilio in hac definienda controuersia vteretur. Tertium denique, quod animaduertendum iudicauimus, temporum rationibus emendandis inseruit. Deprehendi enim, nuper a Cl. Viro, nuptias Henrici cum Hateburga post obitum Ottonis Ducis fuisse reiectas; quod æqualium auctorum testimoniis, & *Ditmari* inprimis auctoritati prorsus repugnat. Vnde perperam porro tamquam ex re concessa confectum est, atque decisum, Henricum simultatibus antiquis depositis cum

Conrado in gratiam rediiſſe, quod hic illi auxilium ſuum contra Sigiſmundum Antiſtitem impertiuerit. Niſi enim aliæ rationes ad id firmandum ſuppeterent, actum foret & conclamatum de illa, quam defenderunt, cauſſa. Quomodo enim placari diſcordiæ queunt, quæ nondum cœperunt? At certum eſt, Ottone patre viuente, Henricum in familiaritatem Regis intraſſe. Quod etiam *Ditmarus* potuit docere, vereque docuit. Itaque nulla inter Regem ac Ducem tunc temporis diſſenſio fuit.

(i) Iſte vero ſub initium Ottoniani imperii Eresburgi contra fratris voluntatem militum furore interemtus eſt. Vid. *Ditm.* Lib. II, p. 331. & *Witechindus* H. Lib. II.

§. VII.

Atque hinc quidem contigiſſe exiſtimo, vt nonnulli ſcriptores vagum atque volaticum Henrici animum carperent, eumque ob inconſtantiæ vitium in vituperationem hominum adducerent: in quo tamen grauiter hallucinantur. Neque enim legum, vti oſtendimus, rigor permiſit, vt conſortium cum Hateburga initum diutius duraret, vtpote omni validitate deſtitutum. Eo autem, vt fas erat, abolito, quid faciendum, quæſo, reſtabat Duci iuueni, delicato, viriumque robore admodum florenti, quam vt nouam, eamque optimam, ac ſibi fidiſſimam vxorem quæreret? Et hanc autem in Herfordienſi monaſterio, patre (k) negotium curante, inuenit. Is enim de Mathildæ virtutibus, ac formæ venuſtate, veterrimaque proſapia, quam a Witekindo (l) Saxonum duce deriuabat, ſatis certus, Thiatmarum formarum egregium ſpectatorem ad eum locum miſit, vt quæ matronarum, ac virginum ibidem agentium eſſet condi-

conditio, ſolicite exploraret; ſimulque, quæ vidiſſet, exacte ad ſe, filiumque Ducem referret. Cui mandato cum promte ſatisfeciſſet nobiliſſimus Comes, ſummam in Mathilda grauitatem, animi conſtantiam, virtutem, aptiſſimam membrorum diſpoſitionem, corporiſque eximiam dignitatem dilaudando; ipſe tandem Henricus lectiſſimorum iuuenum caterua ſtipatus eo contendit, vt ſuis in amore oculis tamquam ducibus vteretur, & cutis mollitiem, formæ decorem, illamque pulcerrimam oris ſpeciem adſpiceret, ſuique affectus ipſe interpres foret. Dici vix poteſt, quam lepide omnia itemque ſingula deſcripta, & quaſi in tabella depicta legantur in vita Mathildæ reginæ (m), quam Henrici II. auſpiciis litteris eſſe conſignatam memoria tenemus.

(k) In vita Mathildæ Reginæ edit. Leibnit. p. 194. hæc leguntur. *Cum autem vbique diuulgaretur virtus Mathildis laudabilis, etiam peruenit ad aures præclari Ducis Ottonis, qui ſtatim miſit ſuum Comitem Thietmarum ad hæc explorandum. Ille vero præcepto Ducis obediens ad ſupra memoratum cœnobium* (Herfordienſe) *iter accelerauit ardens, & ſtatim adiens cubiculum matronarum, eidem puellæ iuſſu Abbatiſſæ ſeruientium, ac adminiculo earum clam ſe inferens monaſterio, diligenter perſpexit formam virginis herilem, & mire laudabilem. Igitur tacite inueſtigatis, & caute conſideratis omnibus, quæ deſiderabat, Domino ſuo reportauit hilaris cuncta, quæ viderat.*

(l) *Wilhelmus Nangius* ſæculi XIII. ſcriptor, in multis ineptus, Mathildam pro filia Ludouici Infantis reputat; ſed qui tamen cœlebs vitam finiuit. Ob quam cauſſam eum operoſe refellit, ac tantum non

acerbo ſtilo redarguit ingenioſus *Blondellus* Geneal. Franc. Adſert. plen. p. 204. ſeq. Et hic autem vna cum aliis ſaniori mente præditis Mathildæ parentem Theodericum nominat, Corbeienſem Monachum ſecutus, qui Libro Annal. I. generis illius ſeriem ſequenti ratione texit: *Erat*, inquit, *ipſa domina Regina filia Thiaderici, cuius fratres erant Witekind, Immed, Reginbern. Reginbern autem ipſe erat, qui propugnauit contra Danos multo tempore Saxoniam vaſtantes, vicitque eos, liberans patriam ab illorum incurſionibus vſque in hodiernum. Et hi erant ſtirpis Magni Ducis Witekindi, qui bellum potens geſſit contra Magnum Carolum per triginta ferme annos.* Dubium circa hæc verba, eorumque ſenſum non heri tantum, aut nudius tertius, ſed iam *Gobelini Perſonæ*, ac *Alberici* Monachi trium fontium, quem celeberrimus *Leibnitius* edidit, ætate ſubortum eſt; ita vt ille Witekindum, Immed, Reginbern pro Reginæ fratribus habuerit; hic vero pro germanis Theodorici, qui Mathildæ fuit pater. Nos cum *Dauide Blondello* partes *Alberici* amplectimur, ob cauſſas infra euidentius deducendas. Nunc peruidendum eſt, quis ille Theodoricus, quaque in parte Saxoniæ vixerit? Auctor vitæ Mathildæ *occidentalis regionis glorioſum Comitem* deſignat, quam pro Weſtfalia merito accipimus. In hac Herfordienſis Parthenon ſitus erat, a quo poſſeſſiones Theoderici', ſi eidem ſcriptori fides eſt, propius aberant, cum alias fieri vix potuiſſet, vt, vnius diei ſpatio interlabente, parentum Mathildæ conſenſus ad perficienda cum Henrico ſponſalia exquireretur. Itaque plerique cum *Gobelino Perſona* Oldenburgicum Comitem appellant, quod

quod illum tractum vna cum aliis prædiis, in quibus etiam Ringelheimensis Comitatus erat, partim eius maiores, partim fratres tenuissent. Matrem Reginæ Hammelmannus in Oldenburgensi Chronico aut Ludmillam, Rochlicensis, aut Hedwigem, Cliuiæ Comitis filiam fuisse arbitratur: sed praue, & contra genuinam monumentorum fidem. Ostendit enim iamdudum *Christophorus Browerus* vir doctissimus e Treuirensis ecclesiæ fastis, illam Reinhildæ nomen habuisse, cum quo *Ditmarus* consentit, itemque *Anonymus*, qui Mathildæ virtutes latinis litteris illustrauit; eamque ex Fresonum atque Danorum sanguine coortam, non autem, vt in Chronico MS. ab *Gelenio* in Vita S. Engelberti citato legitur, Danorum atque Fresonum Reginæ filiam ostendit. Quod bene ac sapienter ab *Leibnitio* animaduersum est. Quod si quæras, qua ratione, quoue fato ad Herfordiense cœnobium delata sit; hoc teneas. Auia, cui itidem nomen Mathildæ erat, mater Theoderici sacris Herfordiæ virginibus cum auctoritate præfuit. Hæc sicuti adolescentulam, neptemque perdilectam cœlestium præceptorum disciplinis innutriuit; ita in gremio ac sinu quasi suo ipsa præesse educationi eiusdem voluit; quod iterum ab *anonymo* obseruatum est. Ea propter vt legentium industriæ succurram, adiiciam Mathildæ stirpem, simulac sorores adnotabo, quæ ignotæ prorsus mansissent nisi *Browerus*, quem supra laudauimus, illas ex obscuro in lucem produxisset.

Mathildis.

Witekind,	Theodoricus, V. Reinhildis	Immed-	Reginbern
Ratbertus Archiepiſcopus Freuirenſis.	Mathildis Henrici I. vxor.	Friderun-Bia. apud Browerum ex faſtis Trevirenſibus.	Amalrada Vxor Eberhardi Comitis in Hamalant, Mater Theoderici Epiſcopi Metenſis.

Et hic Ratbertus clare indicat, atque oſtendit a Witechindo recenſita nomina non tam Reginæ, quam Theoderici fratribus congruere. Neq; enim credibile eſt, Treuirenſem Præſulem in tanta celebritate viuentem a Monacho eſſe ſilentio prætermiſſum, qui Reginbertum, Immodum, ac Witekindum adeo ſolicite nominauit.

(m) Eſt illa *Iacobo Bollando* ad diem XIV. Martii recitata in Actis Sanctorum Antwerpienſibus, quam ei *Ioannes Gamanſius* ſocietati Ieſu addictus Theologus ex veteri codice Monaſterii S. Pantaleonis, quod Coloniæ eſt, erutum perhumaniter communicauit. Cl. *Leibnitius* Rerum Brunſuicenſium tomo inſeruit ob lucem, quam Saxonicæ hiſtoriæ adfundit. Auctor Henrici Sancti temporibus floruit, qui litteris eam, vti monuimus, ſtiloque exprimi iuſſit, quod Mathildem proauiam agnoſceret. Quæ vero Mabillonius (*) ſæculo Benedictinorum V. in Elogio Mathildæ attulit inde partim depromta, partim aliunde ſunt decerpta.

(*) Com-

(*) Commendauit Ioannes Nicolaus Hertius in dissertatione de iactata Cistercienſis Ordinis libertate Mabillonii ſcripta vniuerſa; inprimis ſæcula Benedictina, vtpote in quibus varia Hiſtoriam Germaniæ apte illuſtrantia inuenirentur. His, ſi Annales Benedictinos adiicias, quos eo tempore nondum viderat Vir eleganter eruditus, loculos doctrinæ, quæ ad patriam Hiſtoriam pertinet, haud parum locupletabis.

§. VIII.

Ea vero ratione nihil amplius reliquum erat, quam vt obtentis parentum ſuffragiis ornataque, vt decet virginem illuſtrem, Mathilda e Weſtfalia Henricus in Saxoniam remearet, ac ſponſam forma, virtutibusque fulgentem inter frequentes amicorum ſalutationes, & plauſus ad domum optimi parentis deduceret. (n) Anonymus (o) Walchuſam in Thuringia nominat, quæ haud procul ab Hercymia ad Helmum fluvium reperitur, lætoque adſpectu nove advenientes recreat. Ibi tum temporis illuſtriſſimus Otto cum ſuis agebat; ibi ſolennia matrimonii celebrata; nuptiales faces accenſæ; genialis lectus nouæ nuptæ ſtratus; ibi cœnæ paratæ, fercula cunctis rebus inſtructa, ac poſt conuiuales fabulas libero tandem pede tellus ab omnibus hilariter eſt pulſata. Et his ita iucunde, ac pro ſæculi illius genio ſatis magnifice transactis de dote (p) nouæ demum coniugi ſtatuenda conſilia ſuſcepta, ipſaq; Walchuſæ ciuitas, & quæ ad illam pertinent prædia, ſolenni ſcriptura in caſum mortis mariti eidem addicta ſunt, & adſignata. Edidit Ioachimus Ioannes Maderus in Brunſuicenſibus (q) Antiquitatibus tabulas, in quibus dotalitium Mathildæ ſpeciatim deſcriptum cernitur. Sed quia illæ eo tempore, quo iam Henricus imperii ſceptra obtinuit, confecta videntur, idcirco animum induco, regia liberalitate nonnulla eſſe adie-

adiecta, quæ initio in litteris ab Ottone Duce firmatis neque promissa fuerunt, neque tradita.

(n) *Haud mora*, inquit ille, p. 194. *ornamentis honeste paratis, quæ congrua erant desponsationi virginis, sequenti die Henricus secum duxit venerabilem virginem in partes Saxoniæ. Tunc circumducebatur per ciuitates egregii Ducis Ottonis a Comite Thietmaro, & militibus ceteris: donec in Walchusen præparabatur conuiuium nuptiale magno honore, vti decuit illos, qui postea imperabant gentibus plurimis; ibi perfruebatur connubiis, & licito fœdere amoris.*

(o) Hoc oppidum Henricus Auceps eiusque posteri magni semper fecerunt ob vbertatem agrorum, & varietatem fructuum, quibus omnes facile terras antecellit. Incolæ hodienum illum tractum aruum lætum, aureumque viretum appellitant (die guldene Aue). Cl. *Leibnitius* plura ibi diplomata data obseruat.

† p. 165.

(p) Adscribam prius quæ habet Anonymus: † *Henricus autem tradidit venerabili nuptæ in dotem omne, quod attinet ad eamdem ciuitatem patre suo consentiente*: deinde vero, & nunc quidem de dotalitio agemus, quod incognitum fuit Romanis, sed quod tamen patriis moribus egregie conueniens, atque congruum est. Huc enim illustris Taciti locus de Moribus Germanorum cap. XVIII. n. 2. pertinet. *Dotem non vxor marito; sed vxori maritus adfert. Intersunt parentes ac propinqui, & munera probant. Munera non ad delicias muliebres quæsita, nec quibus noua nupta comatur, sed boues & frenatum equum, & scutum cum lancea, gladioque.* Posteriorum temporum morem Visigo-

Visigothorum, Burgundionum, Alemannorum, Baiuuariorum, Ripuariorum leges satis comprobant; Saxonum vero, ac Sueuorum iura peruincunt. Sed sæpe, fateor, mecum ipse sum meditatus, vndenam esset, quod Germani in caussis dotalibus diuersos a Romanis, aliisque populis mores sectarentur. Quid enim? inquiebam, an onera matrimonii non curant? an pecuniarum, an auri, argentique cupiditate numquam adficiuntur? an quorumcunque commodorum adeo videntur esse impatientes? Et meliora tandem edoctus deprehendi, ac comperi, neque hoc, neque istud dotalitio, quod vocant, caussam atque originem dedisse. Sentiunt enim illi non minus, quam Romani grauissimam matrimonii sarcinam; sunt attenti ad rem, nec inpecunia conuasanda aliquid etiam Italis concedunt. Potius, addebam, prisca temporum simplicitas, & sæcula ab omni luxu vacua, & ætas nondum pecuniosa huic consuetudini natales dederunt. Quid enim, quæso, dotis loco adferret vxor ad maritum? an prædia? atqui ea ad masculos pertinebant, nec nisi his deficientibus ad feminas aliquid poterat peruenire. An aurum, argentum, gemmas, margaritas impensum pretium habentes? Et hæc deficiebant. An armentorum, equorum, ouiumque greges? Sed hi tanquam accessiones prædiorum considerabantur. Ergo necesse erat, vt indotata accederet femina, & a marito acciperet, vnde alimoniam victumque sumeret, & statum atque dignitatem suam condigne sustentaret. Postea, cum diuitiæ in Germaniam influerent, æs signatum, gemmæ, aliaque, quæ prima hodie ducuntur, cernerentur, etiam dotes inualuerunt; indeque pragmaticorum error defluxit,

quasi dotalitium in compensationem dotis constitueretur. Quas ineptias apte refellit *Ioannes Georgius Scherzius* Schilteri discipulus, in dissertatione, quam scripsit, ac publice Argentorati defendit de *Dotalitio*. Meretur res, vt, iactis veritatis fundamentis, per varia temporum stadia ad nostram vsque ætatem accurate consideretur, ne solus *Henelius* sit, aut alius forte confusæ industriæ Iure Consultus, qui hic omne punctum ferat, aut vtramque paginam conficiat.

infra omissum sp. (q) Subiiciam istud infra cum aliis chartis, quibus hæc dissertatio illustrari queat.

§. IX.

Ex hac tam generosa stirpe clarissimum illud, atque optimis ac præstantissimis fructibus refertum germen enituit Otto Magnus Regum præstantissimus, ac Imperator tandem Augustus, Inclytus, Pius, Felix. Ex hac eadem quasi planta emergentes patulos longe lateque ramos effuderunt Henricus (r) Boiorum postea Dux, & Brunsuicensium; Göttingensium, ac Northeimensium principum fator, atque conditor, itemque Bruno (s) summus Colonienſis ecclesiæ Præsul, vna cum filiabus longe præstantissimis Gerberga, (t) & Hadwida (u). Neque enim Henricus plures filias reliquit, quamuis Mathildam (x) & Richsam recenseant, ac nescio, quæ alia nomina eiusdem familiæ perperam inferciant (y). Illud ad posteritatem memorandum videtur, Ottonem Magnum octiduo (z) ante obitum Ottonis aui in lucem susceptum, & hoc cœlesti spiritu donatum fuisse. Quod antea, quoad scio, ignorabatur. Hoc autem, si certum est, ac deinde exploratum

Otto-

Ottonem Ducem II. Kalendas Decembreis a. cIↃXII. e viuis abiiſſe, tunc habemus, ſi recte puto, natalem Ottonis Magni aureis litteris ſcriptitandum X. Kalendas Decembreis. Cui, etſi in ſpeciem aduerſetur ἀνώνυμος, qui Mathildam in domo ſoceri Ottonis per triennium, vixiſſe adſeuerat; dubito tamen, vtrum in hac re teſtis ſit omni exceptione maior, ac multo fideliſſimus. Scio equidem doctum Mabillonium ad illius auctoris fidem temporum rationes ſubduxiſſe; ſed oſtendam in notis, (a) eum paullo ſe extra numerum mouiſſe, rectoque deerraſſe.

(r) Hunc Mathilda mirifice dilexit, ac in amore Ottoni prætulit. Pater vero primum genitum maioris fecit, vtpote ad res gerendas aptiorem, ac ab imperandi artibus magis inſtructum. Eo pertinent, quæ Anonymus cap. II. ſcripſit: *Henricus autem in regali ſolio natus iunior fuit annis, ſed haud inferior excellentia probitatis. Huic nimirum tanta inerat pulcritudo, vt tunc temporis vix poſſet alicui comparari viro. In fiducia armis patri fuerat conſimilis, in omni autem tolerantia aduerſitatis caute obſeruabat veſtigia inclytæ genitricis, & propter hæc ſpecialiter fuit dilectus matri; quæ, quaſi eſſet vnicus illius, conuouens eum omnibus deliciis, ceteris in amore præpoſuit filiis atque deſiderauit, ipſum regno potiri poſt obitum inclyti Regis* &c. Et paullo poſt: *Poſt exceſſum Regis Henrici Ductores primi conueniebant, & de ſtatu regni conſilium habebant. Perplures diiudicabant Henricum regno potiri, quia natus eſſet in aula regali: alii vero deſiderabant Ottonem poſſidere principatus honorem, qui ætate eſſet maior, &*

consilio providentior. Witechindus Corbeiensis tribus fere verbis idem exprimit: *Ipsum vero Ottonem Henricus, qui maximus, & optimus fuit, fratribus & omni Francorum imperio præfecit.*

(f) Elucubrauit Rotgerus Brunonis vitam scriptor σύγχρονος, qui ab ipso Brunone se nonnulla inaudiuisse memorat. Bene fecit Leibnitius, vir summus, quod etiam illum rebus Brunsuicensibus adiecerit, simulatque multa ad Brunonis gloriam facientia publici iuris fecerit. Vbi autem vixerit Rotgerus, incertum est. Leibnitius in diœcesi Colonienſi scholarum magistrum fuisse coniicit eruditionis laude admodum florentem. Si Trithemio fides attribui potest, aut potius Maginfredo, ex quo sua depromsit, in Monasterio Epternacensi apud Treuiros Rotgerus quidam floruit, qui Heriberto vt scholarum magister succesſisse dicitur. Sed vereor, vt hoc verum sit, cum ea ætate Canonici, non autem Monachi Epternacense monasterium insederint. Deinde dubium adhuc foret, vtrum Rotgerus Epternacensis vitam Brunonis exarauerit? Neque enim Treuirensi Præsuli ista scriptio nuncupata est, verum Colonienſi Folcmaro, Brunonis succeſſori. Vnde verisimili ratione conficitur, vt is in Colonienſis eccleſiæ διοικήσει vixerit, &, vt quidam volunt, in monasterio S. Panthaleonis. Stilus pro sæculi genio satis eloquens est, & fere dignus, vt in posteritatis notitiam deuenerit.

(z) Gerberga, Northusæ in Thuringia nata, Giselberto Lotharíorum Duci nuptui a parente data est a. cclxxviii. vt tradidit supplementi Reginonis scriptor sine eximius. Ex hac filium Henricum, itemque filiam suscepit. Ille paucis post patris exces-

sum

ſum annis ad plures migravit. Hæc vero Bertholdo Bauariæ Duci, Arnulphi mali fratri in matrimonium ab Ottone M. tradita eſt. Aubertus Miræus in Annalibus Belgicis p. 105. ingenue fatetur, ſibi nomen illius feminæ prorſus incognitum eſſe. At intelligimus ex diplomate, quod apud *Hundium* Tom. II. *Metropol. Saliſburg.* p. 147. reperitur, eam Wiltrudem vocari, Bergenſemque parthenonem inter Neoburgum & Eichſtettum oppidatenus dotalibus bonis excitaſſe, fauente Ottone II. & Theophania eius coniuge, & Reginoldo Eichſtettenſi Præſule. Ceterum Gerberga ab *Adſone* (*) Abbate Deruenſi *Monachorum mater* vocatur, cui librum ſuum de *Anti-Chriſto*, ſequenti inſcriptione præmiſſa, dedicauit: *Excellentiſſimæ Reginæ, ac regali dignitate pollenti Deo dilectæ, omnibuſque ſanctis amabili, Monachorum matri, & ſanctorum Duci, Dominæ Reginæ Gerbergæ frater Adſo ſuorum omnium ſeruorum vltimus gloriam & pacem ſempiternam.* Quare vero reginam vocet, tam notum eſt, quam quod notiſſimum. Etenim Ludouico Vltramarino connubio iuncta in Galliis id temporis ætatem agebat, maritum Regem prudentia, virtute, ac auctoritate longe antecellens: quamquam & Regum filiæ Reginæ elogium ſæpius olim tulere.

(*) Tres Adſones inuicem ſunt diſtinguendi, omnes Abbates, Deruenſis vnus, S. Baſoli alter, ac Luxonienſis tertius. Noſter Deruenſe (Montier en Ter) cœnobium, quod eſt in diœceſi Catalaunenſi rexit; ac ſimul librum de vita S. Baſoli compoſuit hortatu Adſonis S. Baſoli Abbatis; vt cuius etiam tumulo verſus nonnullos, qui erat eius ſæculi mos, inſcripſit, in quibus hic inprimis ad poſteritatem videtur memorabilis:

O felix Adſo! tumulum tibi condidit Adſo.

Hæc omnia in anonymi libro de miraculis S. Bercharii Abbatis Deruenſis, cuius vitam etiam Adſo deſcripſit, reperiuntur.

Anonymum illum Surius ediderunt, atque Mabillonius sæculo II. Benedictino. Adsonis de Berchario opus adhuc in MS. delitescit. Igitur Adso Deruensis Adsoni S. Basoli superuixit. Adso Luxouiensis (Luxeuil in Burgundiæ Comitatu) cognomento Hermericus eodem sæculo X. floruit. Adscribitur ei libellus de Gestis S. Waldeberti Abbatis itidem Luxouiensis, quem Luxouiensium cœnobitarum sactæ concioni nuncupauit. Confudit Adsonem Luxouiensem cum Deruensi Guilielmus Caueus in Historia litteraria, ac huic Waldeberti attribuit vitam, quam Luxouiensis composuit, atque perfecit. Nostri libellus de Anti-Christo in Appendice Tomi VI. nouæ S. Augustini editionis, quam Benedictini Parisiis ediderunt, habetur.

(u) Nemo fere est, qui neget Henrici Aucupis filiam cum Hugone Magno, quem alias Album appellarunt Franci, matrimonio fuisse copulatam. At nomen eiusdem diuersis modis efferunt. Quidam Adelheidam appellant, nescio, quo fundamento nixi. Alii rectius Hadwidem dicunt Witechindi testimonio freti. *Aliam quoque*, inquit, *filiam*† *genuit, quæ nupserat Hugoni M.* (*) Et hic autem cum Ludouico Transmarino perpetuas inimicitias aluit, quarum etiam in membranis publicis interdum mentio est iniecta. Sic enim in charta quadam pro Cluniaco legitur: *Actum Cabiloni in conspectu Vgoni Marchionis Giselberti Comitis, Rotberti vice Comitis* a. IↃCCCCXLIX. *Indictione VII. Martis XV. Kal. Maii, litigante Rege HLudouico Hugone nobilissimo Marchione.*

†*Sigebertus ad* a. CMLXXXVII. *Hadwidem nominat.*

(*) His iam scriptis perlegi Genealogiam S. Arnulphi Metensis Episcopi, quæ in tabulario eius ecclesiæ reperitur, & litteris a. cIↃccLXI. consignata est. Inter alia, quæ huc potissimum pertinent, sequentia inueni: *Hadewidis, Girberga, Bruno Episcopus & Dux Coloniæ, Otto Imperator, & Henricus Dux fratres & sorores fuerunt. Horum Hadewidis genuit Hugonem*

nem Regem Francorum, & Beatricem vxorem Frederici Ducis. Hanc vero generis seriem Butkenius in Trophæis Brabantiæ descripsit, quam videsis in probationum indice p. 3.

(x) Etiam Leukfeldius † cum Henningesio, Tenzelio †† † aliisque hic nobis Mathildin Henrici Aucupis filiam indicat, exhibetque. Verumtamen non filia est, sed neptis Ottone Magno genita, cui Mathildis auia ad se accersitæ nonnulla ad probitatem monita extremo spiritu instillauit. Et hæc sacras, quæ Quedlinburgi erant, virgines rexit. †† *In Vindic. Censuræ diplom. Ludouic.* p. 219. 220.

(y) Edidit *Henricus Meibomius* Chronicon Corbeiense, adiecitque notas. In his Tom. I. R. G. p. 759. tabulas Folcmari nouæ Corbeiæ Abbatis produxit, vbi occasionem condendi Grœningensis Cœnobii, quod in principatu Halberstadiensi ad Bodam fluuium reperitur, recenset. Et fatetur in illis Sigfridus Comes, *se in memoriam Henrici Regis & Mathildæ, & regiæ prolis Ottonis nempe, Henrici, Brunonis, Gerbergæ, & Hadwidæ, nec non pro se ipso & coniuge sua Guthiæ seu Iuttæ istud fundasse, atque exstruxisse.* Quod indicio est, Mathildam, Adelheidam, Richsam, Wendelgardam, nonnisi in cerebro otiosorum hominum fuisse enatas: charta enim a. CCIↃXXXIX est exarata. Nec obest, Wendelgardam ab *Eccardo Juniori* in Casibus Monasterii S. Galli cap. X. Vdalrici Sueuiæ Comitis vxorem, Burcardi Ingenitii Abbatis S. Galli matrem, Henrici Regis ex filia neptim appellari. Est enim Eccardus scriptor haudquaquam æqualis, vtpote qui Henrici IV. demum ætate vixit. *Mabillonius* Annal. Bened. Lib. XLVI. n. 25. Wendelgardam pro Henrici filia venditauit. Quod tam falsum esse putamus, quam cum Monachus S. Galli eam neptim dicit. Putamus in hac causa tamdiu

tamdiu charta Folcmari, in qua Henriciana ſoboles recenſetur, eſſe ſtandum, donec σύγχρονος auctor, vel fide dignum diploma eam generis ſeriem conuellat, atque dubiam reddat. *Henningeſium*, *Reuſnerum*, *Dietericum*, *Tenzelium* ſine teſtibus idoneis loquentes curamus ſcilicet.

(z) Docet id claris verſibus Poetria Gandeſienſis:

Scilicet ante dies octo totidem quoque noctes
Quam ducis occaſus miſerabilis accidit huius
Ipſius nato Regi quandoque futuro
Naſcitur Henrico famoſus filius Oddo,
Qui fuit electus Regis pietate perennis
Primus Saxonum Rex poſt patrem ſtrenuorum
Auguſtus Romanorum pariterque potentum.

(a) Mabillonius *Annal. Bened.* Tom. III. p. 350. vitæ Mathildis ſcriptori fidem ſuam adiungens ita, niſi fallor, ratiocinabatur: Mathilda ab Henrico Aucupe a. CCIↃXI. regnante Conrado I. ducta eſt. Hæc cum Ottone ſocero triennio vna fuit. Itaque Otto Dux illuſtris a. CCIↃXIV. vitam cum morte commutauit. Illud vero triennium ex Anonymi cap. I. probauit: *Et ipſe venerabilis Dux Otto enutriuit eam in vice filiæ vſque ad obitum ſuæ vitæ. Tribus autem annis poſt hæc tranſactis, vir venerandus mortem ſubiit temporalem* &c. Sed auctor, quem ſæpe allegauimus, Henrici II. demum temporibus vixit, nec calculos ſuos rite ſemper poſuit; quod etiam iam alii viri præſtantiſſimi adnotarunt. Ceterum rationes, quæ contrarium perſuadent, haud parum ſolidæ deſunt. Nam ſi Otto M. natu maior fuit, in quo omnes conſentiunt, neceſſe eſt, vt Mathildis tribus totis annis ſte-

nis sterilem vterum gesserit. Quod difficile ad fidem est adfirmare. Cui accedit, quod anno statim CCIↃXIII. bellici tumultus fuerint exorti, de quibus, dum viueret Otto, συγχρόνοις testantibus, nihil est auditum. Idcirco consequitur, vt is a. CCIↃXII. animam efflauerit, non autem a. CCIↃXIV.

§. X.

Et hucusque læta fere, atque hilaria stilo nostro expressimus: nunc, patre Ottone ad plures translato, bella ordimur, discordias cum Rege narramus, cædes, atque tumultus hinc inde enatos efferimus. Neque enim Conradus eam filio largiri potestatem volebat, quam habuit illustris Otto, qui suo illi arbitrio viam ad regnum patefecit. Ea propter detrahi nonnulla Henrico beneficia cupiebat (b), quæ ad res nouas moliendas exstimulare iuuenis animum, ac altiores eidem cogitationes inspirare poterant. Quod, cum ille haud æquo animo toleraret, et Saxones Ducis sui amore inflammati altius narrationem repeterent, contigit, ut non tantum illo æuo, verum etiam nostra ætate scriptores in partes (c) scinderentur; atque hi Henrici, ceteri Regis caussam tuerentur. In primis autem recentiores pro Duce hodienum adferunt, Carolorum stemmate exstincto, in pristinam libertatem peruenisse Germaniæ populos: adeoque ad Regis potestatem nequaquam pertinuisse, vt quæ in beneficium obtulissent Principes, is pro lubitu eis adimeret. Conradum electionis iure solium regni conscendisse, vbi neque nascendi felicitati, neque victoriæ iuri locus esset. Caroli progeniem vero imperium nullis limitibus circumscriptum titulo a ma-

ioribus accepto merito occupaſſe. Quibus e contrario alii reponunt, atque ex vero reſpondent: Fruſtra de libertate differi, vbi certis rerum argumentis conſtet, tanti regni proceres proprio arbitrio imperium prætuliſſe. Et illud autem factum fuiſſe, Arnulphi, Ludouici Infantis, ac Conradi I. exemplis in vulgus liquere. Igitur, antequam de procerum immunitate tot verba emitterentur, eſſe peruidendum, quid procerum nomine intelligatur. Fruſtra hic eccleſiarum præſules excludi, qui iam Ludouici Pii temporibus Principum ordini eſſent adſcripti, ac rerum ſummam tenuiſſent. Ad officium viri boni atque accurati pertinere, vt turbulentiſſimo reipublicæ ſtatu circumſpecto demum iudicet, vtrum eiuſmodi libertatis deſiderium vere immodicum Germaniæ gentibus recte attribuatur. Qui enim Hungaroum impetus, Normannorum furores, Venedorum perfidiam, Gallorum inſidias penſitaret, eum ab ſenſu, ac vitio ἀναρχίας mentem atque oculos breui eſſe averſurum (d). Potius vanum effugium videri, ac opinionem valde præſumtam, eligentium ſuffragiis regiam poteſtatem numquam non limitari. Id Grotium (e) iam dignis eruditione ſua ratiociniis demonſtraſſe, ſummam poteſtatem ex modo illam habendi perperam diiudicari. Feudorum oblatorum titulos vero atque nomina ſomniis nouitiorum hominum merito accenſeri, qui cum ſine hiſtoriæ luce in hac controuerſia aliquid eſſent moliti, vel lapſi ſint temere, vel nodum in ſcirpo quæſiuerint, vel præter annalium fidem inſolentem opinionem adfectauerint (f). Igitur temporum faciem, auctorum æqualium teſtimonia, ac publica monimenta, atque pacta inſpici fas eſſe, vbi rationibus vndequaque con-

conquisitis nulla sedes relinqueretur. Verumtamen altum de pactis apud veteres silentium obseruari, nec vllum eius rei vestigium (f) apparere; quin plures inueniri, qui ducum elatos spiritus culpent, quam qui Regis perfidiam accusent, aut factum vituperent. In hoc negotio iuris quæstionem pertractari, nec, si quid a prudentiæ regulis aberratum, in disceptationem venire. Quibus omnibus ego tandem adiicio: Henricum noue electum iisdem vestigiis institisse, atque adeo facto suo luculenta ratione ostendisse, frustra aduersus antecessorem, qui suo vsus sit iure, tot tantasque tragœdias excitari. Consequentia vera est, atque omni luce clarior. Neque enim credibile videtur, Conrado duriores leges esse positas, quas sub Henrici imperio, qui olim omni contentione Regi refragabatur, nusquam obtinuisse legimus, aut obseruamus.

(b) Witechindi verba nota sunt: *Rex autem Conradus; cum sæpe expertus esset virtutem noui Ducis, veritus est ei trădere omnem potestatem patris. Quo factum est, vt indignationem incurreret totius exercitus Saxonici.* A quibus Ditmari narratio parum abludit: *Post hæc secundo Kal. Decembreis carnis vniuersæ viam intrante, sæpe memoratus iuuenis in vacuam succedens hereditatem iure, & maximam beneficii partem gratuito Regis suscepit ex munere, & quod ei defuit, cum suis omnibus ægre tulit, ac postea sicut cum tritico lolium, sic ex eo latentis lolii filix excreuit.*

(c) Libertatis egregium nomen est; sed præstat sæpe imperii cuidam corpori adglutinari, & obsequii gloria esse contentum. Qui regem eligunt, vel penitus suo iuri, vel quadantenus renunciant. Hoc

autem

autem, abiecto fruſtra de ſumma poteſtate retenta, variiſque iuribus, quæ nuſquam comparent, peroratur. Id ſcio, potuiſſe Teutoniæ proceres moribus atque legibus de integro condere ciuitatem, & regia faſcia, Carolingorumque dominatione ſublata ad libertatem proclamare. Verum hæc pleriſque diſplicuit, in quibus Epiſcopos, Comites, alioſque referas, qui metu creſcentis potentiæ, quæ ad Duces peruenisſet, detinebantur. Animaduerti ex monumentis perantiquis, ſacerdotes ingenuo liberoque faſtidio illam Ducum ſuperbiam, atque licentiam iam ſub Arnulphi imperio reſpuiſſe. In cuius rei teſtimonium Triburienſem ſynodum quæ a. Ɔccccxcv. ad Rhenum celebrata eſt, allego, ſimulque ad litteras, atque acta prouoco, quibus *Labbeus*, & *Coſſartius*, itemque *Sirmondus* viri doctiſſimi, hoc quidquid eſt rei, exornarunt. Deprehendet attentus lector, aduerſus eos potiſſimum Concilium coiuiſſe, qui Epiſcoporum potentiam atque auctoritatem conuellere auſi ſunt. Minimum iſtud Regino adfirmat ad a. Ɔccccxcv. *Synodus*, ait, *magna celebrata eſt apud Triburias contra pleroſque ſæculares, qui auctoritatem epiſcopalem imminuere tentabant, vbi viginti ſex Epiſcopi cum Abbatibus monaſteriorum reſidentes plurima decreta ſuper ſtatum ſanctæ eccleſiæ roboraverunt.* Nomina Præſulum ex ſubſcriptione Concilii intelliguntur: quemadmodum e præfatione luculenter itidem cognoſcitur, quantis adclamationibus Arnulphum Magnum Regem decorauerint Patres, & quam indulgenti voce ille viciſſim his ſuam fidem, fauorem, ac gratiam addixerit. Atque eam quidem mentem Germaniæ Præſules ſub Ludouici Infantis gu-

tis gubernaculis retinuerunt, optime perſpicientes toti regno funus certiſſimum imminere, atque ineluctabile fatum inſtare, niſi Regis boni ac fortis auctoritate, atque conſiliis recrearetur. Exhibet in hunc finem *Henricus Caniſius* Antiquarum Lectionum Tom. I. *Salomonis* Antiſtitis Conſtantienſis elegantem ad *Dadonem* Epiſcopum Virdunenſem epiſtolam, qua diſſenſiones ea tempeſtate coortas, morumque corruptelas, quas ſuis oculis vidit, acerbe deplorat, vnde nonnulla ad propoſitum noſtrum facientia decerpam.]

Non mirere, Pater, ſi conflictamur acerbis
Litibus, & pugnis; ſi motus ferueat orbis;
Sed magè mira putes, quod non ſint funditus omnes
Et tribus, & populi funeſto Marte peremti.
Ah, cum non habeant, qui fac & deſine dicat.

Et paullo poſt:

Plura quid his dicam? Deſunt vbicumque regentes:
Diſciplina cadit: huic & contraria ſurgit:
Abſque timore quidem nihil eſſe loquuntur honorem.

Tandem de Ludovici pueritia quædam addit:

Infantilis adhuc perfungens nomine Regis
Aetas, nec pugnæ eſt habilis, nec legibus apta,
Cui Deus indulget regnis, ſceptroque potiri,
Sed tenerum corpus, ſeræque ad fortia vires
Deſpectum propriis generant, atque hoſtibus aurum.

Quæ vniuerſa in hanc propterea paginam conieci, vt cauſſam cognoſcerent, qui hic diſſident, atque diſcordant, quare ſub libertatis imagine latentem licen-

licentiam contemserint viri illustri virtute, atque eruditionis laude præcellentes. Neque enim affirmare sat est: exstincta erat Carolingorum progenies; ergo in pristinam libertatem iure meritoque se receperunt. Tu corrigas, quæso, atque emendes vltimas voces, ac pro *receperunt*, scribas *se recipere potuerunt*. At neque voluerunt illud, neque etiam fecerunt. Non voluerunt, quia Hungarorum cruenta arma, ac barbaras cædes toto animo exhorrescebant; cum quibus si Slauorum nationes in vnum conspirassent, de Germanorum imperio haud dubie actum fuisset, illaque, quam auide ac minus tempestiue arripuissent, libertas in perpetuum nunc etiam foret deploranda. Itaque quod alii credunt, nequaquam fecerunt. Elegerunt Saxones, Franci, Alemanni Conradum: elegerunt, sicuti Arnulphum atque Ludouicum Puerum: in Regem suis suffragiis cooptarunt, non vt noctu atque interdiu sterteret, & precario titulo frueretur; sed vt hostibus patriæ perniciem atque extrema minitantibus ferro atque armis horrorem incuteret; ac variis vulneribus hiantem rempublicam glutinaret, atque in vnum attraheret. Nec mouet, repugnasse postea imperii quosdam primores, omnique dimicatione sese Regi cum auctoritate imperanti opposuisse. Quæritur enim, quo iure id fecerint? Optimo, inquis. Ego contra, sed satis modeste, & ad veterum fidem, & ad statum reipublicæ conuenienter. Ceterum error est, ac, si quid coniicio, in Doctorum animis effusa caligo, cum sibi persuadent, Ducum quorumdam vana consilia aususque parum decentes, totius reipublicæ consonam voluntatem fuisse. Sancti Præsules semper in contrarium nixi, ceterique nobiles omnia

mnia alia agebant, vtpote qui, veluti infirmiores, Regis potius experiri imperium, quam intolerandam Ducum subire dominationem volebant. Rege enim prudenti, ac virtutis gloria conspicuo ad clauum sedente honorum maiorum insignia, virtutis præmia, ac laudum noua monimenta sperari poterant: cum e contrario, Ducum potentia eualescente, omnia auctoramentorum genera vno quasi halitu fuissent sufflaminata, atque exstincta. Eam ob causam Regem illi præpollentem flagitabant: hi vero eius facultates in sui commodum accisas cupiebant, ne qua sacerdotum opes in immensum augerentur, auctæque in ipsos graui pondere incumberent. Quæ dissidia tandem effecerunt, vt inimicorum infestæ acies totam Germaniam peragrarent, atque ipsam Rheni ripam, animis hinc inde conterritis, transilirent. Vnde vix est mirandum, Duces regiis iussis resistentes in rebellium classe ab eius æui auctoribus collocatos, eorumque bella veluti seditiosorum hominum coitiones ad posteritatis memoriam acerbo calamo fuisse descriptas.

(d) Libro I. de Iure B. & P. cap. III. n. 10. *Sunt multi*, inquit, *qui existimant discrimen summi imperii, aut summo minoris petendum ex delatione imperii per electionem aut successionem. Nam quæ hoc modo deferuntur imperia, ea summa esse contendunt, non item quæ illo. At hæc vniuersim vera non esse pro certo haberi debet. Nam successio non est titulus imperii, qui imperio formam adsignet, sed veteris continuatio. Ius enim ab electione familiæ cœptum succedendo continuatur, quare quantum prima electio tribuit, tantum defert successio. Apud Lacones regnum ad heredes transibat, etiam*

post

post Ephoros constitutos. Et de tali regno, id est, principatu est apud Aristotelem: τῶν τῶν βασιλειῶν αἱ μὲν κατὰ γένος εἰσιν αἱ δὲ αἱρεταὶ. *Quædam sanguinis iure, quædam electione deferuntur: & heroicis temporibus pleraque in Græcia regna talia fuisse & ipse notat, & Thucydides. Contra Romanum imperium, etiam sublata omni senatus, & populi potestate, per electionem conferebatur.* Quæ etsi ad refellendam opinionem nobis contrariam sufficere possunt; adferam tamen nonnulla propositum propius ferientia. Ipse iam Arnulphus, ac Ludouicus eiusdem filius imperium suffragiis obtinuerunt; & nemo tamen, quod scio, de omnimoda principum libertate ac summa in omnibus potestate aliquid mutiuit. Quanquam id inde factum putem, quod Arnulphum, licet pellice ortum, inter Carolingos recenseant. At si ita ratiocinentur; vel culpandi sunt, quod ab delatione imperii per electionem ad imminutionem potestatis argumentantur: vel reiiciendi, quod nothum stemmati Carolingorum inferentes eum, veluti legitimum hæredem, quorumcunque iurium participem faciunt: vel denique, si electionem Arnulphi ac Ludouici in dubium vocent, explodendi prorsus, ac paullo durius tractandi sunt, ne contra publicos fastos, atque acta amplius aliquid moueant, producantque.

(e) Ita fit vt diximus, cum in historicis rebus ratiociniis quibusdam minus consideratis indulgetur. Neque enim omnes, quam Furstenerius, habent causam tuendi tam peregrinam opinionem. Nam cum Galliarum Rex Germaniæ Principibus beneficiarium nexum obiiceret, quare eorum legatis nonnulla honorum, atque officiorum genera denegaret, tum vero

vero is cum personato Monzambano ad beneficia, quæ vocant oblata dilapsus est, quasi hæc diuersam plane a feudis datis naturam haberent. In quo satis ingenioſe hos viros esse versatos, nemo forte inficias ibit. At qui veterum annalium auctoritati nonnihil tribuunt, & rerum gestarum veritatem consectantes reipublicæ tempora intuentur, non tam ingenii luminibus, quam solidis rerum argumentis delectantur: quamuis haud difficile factu sit, excogitare eiusmodi fabularem historiam, aut opinionem Aesopæis logis persimilem.

(f) Non iuuat, eiuscemodi pacta præsumi. Nam perperam de præsumtionibus loquimur, vbi vera rerum testimonia contrarium persuadent. Adde præsumtionem præsumtione elidi, hancque efficere minimum, vt prior coniectura velut in cinerem vanescat.

§. XI.

Sed eductus tamen interea e vagina est gladius, ac, oppugnationibus hinc inde factis, armorum furori aliquid datum. Rex Thuringiam (g) appetiit; Henricus defendit: ille in Saxoniam (h) sese exercitu infudit; hic eiecit: ille Grondam obsidione cinxit; hic astu liberauit (i); ita vt verisimile admodum videatur, quod refert Witechindus, Ducem hunc primum *libera potestate in Saxonia regnasse* (k); quamquam contra reliquos Comites, atque Duces pari audacia in regia iura inuolantes maiori Conradus felicitate sit vsus (l).

(g) Apte ad rem Witechindus Lib. I. Annal. p. 636. *Et statim omnia, quæ iuris ipsius erant, in omni Saxonia vel Thuringorum terra occupauit. Burg-*

hardum quoque & Bardonem, quorum alter gener Regis erat, in tantum adflixit, & bellis frequentibus contriuit, vt terra cederent, eorumque omnem possessionem militibus suis diuideret.

(h) Frater Eberhardus exercitui præerat, sed quem Saxonum virtute prope Eresburgum oppidum, quod hodie Stadtberga appellatur, fusum, fugatumque idem Corbeiensis Monachus adnotauit: *Rex autem misit fratrem cum exercitu in Saxoniam ad eam deuastandam. Qui appropinquans vrbi, quæ dicitur Eresburg superbe locutum tradunt; quia nihil ei maiori curæ esset, quam quod Saxones pro muris se ostendere non auderent, quo cum eis dimicare potuisset. Adhuc sermo in ore eius erat, & ecce Saxones ei occurrebant, miliario vno ab vrbe, & inito certamine tanta cæde, vt a mimis declamaretur, vbi tantus ille infernus esset, qui tantam multidudinem cæsorum capere posset* &c.

(i) Iterum Witechindus l. c. *Audiens autem Rex, male pugnatum a fratre congregata omni virtute Francorum perrexit ad requirendum Henricum. Quem compertum in præsidio vrbis, quæ dicitur Grona, tentauit illud oppugnare præsidium. Et missa legatione pro spontanea deditione, spondet se per hoc sibi amicum futurum, non hostem experturum. Huic legationi interuenit Thiatmarus ab oriente, vir disciplinæ militaris peritissimus, varius, consilioque magnus, & qui calliditate ingenii multos mortales superaret. Hic superueniens, legatis Regis præsentibus, interrogat, vbi vellet exercitum castrametari. At ille iam suasus cedere Francis, accepit fiduciam, audiens de exercitu credens ita esse. Thiatmarus vero ficte loquebatur:*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [70] - 58
PUBLIC DOMAIN

batur: cum quinque enim tantummodo viris venerat. De numero autem legionum sciscitante Duce ad triginta fere legiones se producere posse respondit: & ita delusi legati regressi sunt ad regem. Vicit vero eos calliditate sua Thiatmarus, quos ipse Dux ferro vincere non potuit Henricus. Nam antelucanum relictis castris Franci, vnusquisque rediit in sua. Grondam arcem ad Visurgim flumen reperiri, in dissertatione de Conrado I. ampliter ostendimus: quanquam nonnemo in dissertatione *de Comitibus Palatinis Saxoniæ* contra *Meibomium* disputet, quæque a *Witechindo* memorantur aut Grœningæ ad Bodam, aut Gronæ juxta Gœttingam, aut Grundæ ad Muldam rectius congruere arbitretur. Sed duo esse, puto, mature ponderanda. Gronda *Witechindi* præsidio munitum oppidum vel castellum fuit: deinde in occidentali plaga situm. Iccirco neque de Grœninga, quæ est in Halberstadiensi Principatu, neque de Grunda ad Muldam sita *Corbeiensis* verba intelligi possunt. Restat Grona iuxta Gœttingam, quam sedem postea Comitis Palatini Saxoniæ fuisse *Henrici Meibomii* nepos coniecturat. Verum magis est, ut Grondam ad Visurgim eligamus. Nam Grona prope Gœttingam post Henrici Aucupis ævum demum celebritatem quandam adepta est.

(k) Nam cum ea, quæ Regis imperio, atque dominio erant subiecta armis occupasset, factum est, vt libere in Saxonia primus imperitauerit. Ad proprietatem autem Conradi permulta in hac prouincia pertinuisse, locus *Witechindi* litt. g. allegatus euincit: vt taceam, eumdem Hartesburgensem ecclesiam a fundamentis exstructam variis prædiis, atque bonis ditasse: de quibus Chronicon perantiquum

imo Conradi H 2 Salicus Gosla-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [71] - 59
PUBLIC DOMAIN

Goslarienſe ab doctiſſimo *Heineccio*, amico meo longe æſtumatiſſimo citatum abunde teſtatur. Vnde permira mihi ſemper eorum opinatio viſa eſt, qui ne hilum quidem Regibus in Saxonia permittunt, Ducis poteſtati ac moderationi vniuerſa ſubiicientes : quaſi videlicet Saxones dicis tantum cauſſa Regem nominaſſent, atque elegiſſent. Quod paucis forte ad credendum perſuadebitur. Neque enim arduum eſt demonſtrare, etiam poſt Ottonum, ac Herici II. exceſſum a Regibus atque Imperatoribus nonnulla in Saxonia fiſci iure eſſe poſſeſſa, ſed quæ demum per ſpiramenta temporum vel ſacerdotibus, vel ducibus, vel comitibus in præmium ceſſerunt. Diplomatum fide ſuffultus talia ſcribo, quæ aliquando, vbi tempus ſuppetierit, in publicum emittam : ne quis in poſterum a via declinet, & neſcio, quem clauſum, vel potius Ducis auctoritate vndiquaque cinctum Saxoniæ principatum ſibi proponat.

(l) Etenim Arnulphum Boium patria eiectum ad Hungaros abegit. Erchangerum & Berchtoldum capitis pœna adfecit ; ac Giſelbertum denique eo compulit, vt in Gallorum clientelam ſeſe metu coactus tradiderit. Quæ fuſius a me alibi ſunt expoſita.

§. XII.

Et dubitant vero hodienum multi auctores eruditionis fama illuſtres, vtrum Henricus cum Rege, dum viueret, in gratiam redierit, maxime cum Witechindus in tenebris hanc cauſſam, quam in luce verſari maluerit. Sed puto tamen Thiatmarum Comitem, de quo præclare veterum annales (m) loquuntur, compoſitionis

nis auctorem exstitisse. Minimum de concordia firmata Merseburgensis Antistes (n) verba fecit, cui in hac quidem caussa fidem abrogare nolim. Nam praeterquam, quod Saxoniae Praesules Altheimensi Synodo (o) interfuerunt; tum vero id ex eo clarum est, quod Quedlinburgi Conradus ab hostium insidiis se tutum credidit; quod tamen oppidum in Saxoniae confiniis positum ei securitatem praestare vix potuisset, si coepta inimicitia ad illam vsque aetatem durasset. Igitur magis est, vt ad pacem traductos credamus; tametsi olim alia animo sententia arriserit (p).

(m) *Witechindus* eum, vt iam notauimus, ab bellicae artis scientia, ac mentis quadam sollertia laudauit. Igitur cum ab oriente dicatur venisse, ac supra quoque e Thuringia in Westphaliam Ottonis iussu iter fecerit, vt nuptias inter Mathildam, ac Henricum conciliaret, putaui eiusdem terras, ac Comitatum haud procul a nostris oris abfuisse. Vt ita coniicerem nonnulla diplomata perfecerunt, quae Theologus bene merentissimus *Ioannes Christophorus Becmannus* in Historiae Anhaltinae Part. III. Lib. I. foras dedit. Pagina enim 167. Comitatus Thiatmari in pago Sueuon trans Salam designatur, vbi inter alia Otto Magnus, *e contra*, inquit, *recepimus in villa Rodigeresrod in pago Sueuon in Comitatu Thietmari Comitis dimidiam partem confinii, i. e. Marchae* &c. Et iterum: *Nouerit omnium fidelium nostrorum tam praesentium, quam futurorum industria, quod nos dilecti ac fidelis nostri Marchionis Geronis peticioni obtemperantes, & fratris nostri Brunonis eidem quamdam proprietatem nostram trans Salam fluuium in* Comitatu Thietmari *in pago*

lingua Staucrum Litice nominato in proprium donauimus &c. Bina hæc diplomata a. cIↃ XLIV. & XLV. ſunt publicata. Pagus autem Sueuon ſeu Suauiæ Halberſtadienſis principatus partem conſtituit, ac a Sueuis Transbadanis nomen accepit, qui, Witechindo teſte, *eo tempore illam quam incolunt regionem inuaſerunt, quo Saxones cum Longobardis Italiam adiere.* Vulgares Witechindi editiones legunt *Sueui Tranſalbini*, ſed reſtituit acutiſſimus *Leibnitius* ex MS. Codicibus Dreſdenſi, itemque Caſinenſi *Suaui Transbadani*, id eſt, trans Bodam amnem, qui ab Hercyniis montibus ortus Quedlinburgum alluens in Salam mergitur. Quocirca fallor, an Thietmarus, vt faciunt *Meibomius* aliique, pro Comite Wetinenſi recte venditatur? vtrum etiam perperam? Hæreo.

(n) Hoc teſtimonium Sigeberto Gemblacenſi, qui paria recenſet, maiorem fidem conciliat: Nam *mihi*, inquit Ditmarus p. 325. *ad alia properanti longum eſt enarrare, quoties congreſſi mutuo cederent, vel vincerent, & quo modo poſtremo bonorum inſtinctu* in amicitiam *conuenirent.*

(o) Intelligitur (*) Altheimenſe concilium II. cui Bremenſis, Paderbornenſis, Mindenſis, aliique Saxonici Epiſcopi atque Abbates interfuerunt, ac ſubſcripſerunt. ſed illud vide tratum sub Henrico anno 920.

(*) Dubium eſt, vbi Althemium ſit quærendum. Munſterus in Francia Orientali collocat, conſentiente Nicolao Schateno Annalium Paderbornenſium conditore Tom. I. p. 251. Mabillonius Annal. Benedict. Tom. III. p. 427. in Rhætia inuenit, ac tunc temporis ad Burgundiæ iuriſdictionem pertinuiſſe ſibi perſuadet. Ego in alia omnia eo, poſteaquam Nicolaus Sanſon Gallus percelebris in Geographia Synodica erudite hanc villam inter Salisburgum ac Dingolfingam legentibus oſtendit. Quod & tabulæ probant. Mabillonius errandi occaſionem inde arripuit, quod Althemium ad Rhætiam referri depre-

deprehendit. At Rhætia Paſſauium vſque extenditur, eoque veriſimile eſt, concilium iſtud in Rhætiæ ac Norici confiniis fuiſſe congregatum. Quare permirum videtur, virum hunc eruditum ad Burgundiæ fines eſſe deuectum. Quis enim credat, Conradum ceteroſque Germaniæ Proceres de rebus imperii ſalutem tangentibus in ſolo externo, ac oris peregrinis fuiſſe deliberaturos? Etſi vero Adelzreiterus atque Brunnerus Scriptores Boii iſtius concilii mentionem faciant, non explicant tamen illi, aut deſcribunt curate Althemii ſitum; ſed generatim Rhætiam nominant, in qua oppidum hocce inueniatur, inſcii haud dubie ignarique, pertinuiſſe ad Boicam.

(p) In diſſertatione de Conrado I. Rege, quam emendatiorem vulgare mecum conſtitui.

§. XIII.

Quæ cum ita ſint, eo facilius nunc ſane intelligitur, quare tandem Conradus, cum vitam effluere ſentiret, animum oculoſque in Henricum Saxoniæ Ducem coniecerit, vt poſt ſe imperii gubernacula capeſſeret. Non dicimus, vnam hanc eius rei cauſſam fuiſſe: nam & ceteras ſcimus, atque exulceratæ reipublicæ faciem mente atque ingenio depictam optime ſeruamus. Ad quem enim, quæſo, ſumma rerum feliciori conſilio, ac certa meliorum temporum ſpe poterat transferri? Ad Eberhardum Regis fratrem? Sed hic, quamuis potentia (q) diuitiis, atque auctoritate (r) nulli eſſet ſecundus; non ita tamen erat compoſitus, non adeo fortunatus, (ſ), itemque prudens (t), vt tantis difficultatibus circumſeptæ ciuitati priſtinum reddere ſplendorem quiuiſſet. Id Regi interruptis vocibus loquenti ſatis erat cognitum. Arnulphus vero Boius in hoſtico apud Hungaros (u) viuens apertas inimicitias gerebat, ac inani Regis titulo (x) ſuperbiens, neque ceteris Principibus, neque Epiſcopis (y) placebat. Burchardus Sueuus (z) ipſe

ipſe quidem tractare tela, procedere ante ſigna, verſari media in mole pugnæ ſciebat; ſed virtutum reliquarum præſidiis, illisque ſapientiæ, regnandique ornamentis, ac artibus deſtituebatur. Giſelbertus Lotharingus cum Galliarum Rege fœdus arctum habebat (a); non tam Germaniæ rebus intentus, quam potentiæ ſuæ amplificandæ inuigilans ſub domino ſimplici, ac ab prudentiæ opibus parum inſtructo. Itaque nemo Henrico ad regnandum aptior erat; nemo, qui virtutis amplitudine inter omnes magis excelleret (b); nemo qui animum ad rempublicam ſalutaribus inſtitutis temperandam & tutam, & incolumem præſtandam magis erudiuerit.

(q) Hoc frater Conradus ipſe apud Witechindum agnouit: *Sunt nobis*, inquiebat, *copiæ exercitus congregandi atque ducendi; ſunt vrbes, & arma cum regalibus & inſigniis, & omne quod decus regium depoſcit.*

(r) Idem Corbeienſis Monachus, cum de turbis ſub imperio Ottonis coortis, atque pœna tumultuantibus inflicta diſſereret, hoc de Eberhardo iudicium tulit: *At ille nihilominus Duci ſuo* (Eberhardo) *hærebant ad omne nefas, quia ille erat iocundus animo, affabilis, mediocris in rebus, largus in dando.*

(ſ) *Sunt nobis omnia*, aiebat ſupra Rex moriturus, *præter fortunam atque mores. Fortuna, frater, cùm nobiliſſimis moribus Henrico cedit, rerum publicarum ſecus Saxones ſumma eſt.*

(t) Deprehendi Eberhardum ad res nouas valde quidem propenſum; ſed in exſequendo aut nimis præcipitem, aut etiam, cum inſtaret periculum, nimis meticuloſum. Vt tot populi, ac nationes in diuerſa currentes, tot principes maiora anhelantes

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [76] - 64
PUBLIC DOMAIN

lantes in officio continerentur, prouidentia insigni, atque egregiis moribus opus erat. Et hi Franco deerant. Mores enim mediæ ætatis stilo prudentiam significant.

(u) Testem Luitprandum Ticinensem, cui Sigebertus, & Otto Frisingensis consonant, cito: *Arnoldus autem nimio eius* (Conradi) *terrore coactus cum vxore & filiis ad Hungaros fugit, fuitque ibidem, quoad vitalis aura Conradi Regis rexerat artus.*

(x) Existimaui aliquando, solum *Anentinam Arnulpho* Regis titulum iunxisse: in qua opinione me *Brunnerus* Iesuita confirmauit. Sed diserte idem Arnulpho nomen *Witechindus* tribuit Annal. Lib. I. quamquam sæpius Ducem appellet.

(y) Sacerdotes eum Mali cognomine notant, non tantum, quod ecclesiis dicata bona militibus suis adsignauit, verum etiam, quod Vngaros in Germaniæ fines introduxit. Hæc irarum in Arnulphum caussa potissima fuit. Obseruauit diligentissimus *Hundius* in *Metropol. Salisburg.* Tom. II. pag. 517. sub id temporis vetus cœnobium quod Münchs-Münster appellant, & in Diœcesi Ratisbonensi ad Danubium a Thassilone conditum fertur, auctore Arnulpho direptum fuisse, atque deuastatum: vt alia prætermittam. Interea tamen vix contraibimus †† *Virtutis Brunnero* Boicæ gloriæ scriptori, qui propugnationem & defensionem dignitatis Arnulpho debitæ suscepit. Dabimus enim illi, hunc Ducem bellicæ virtutis laude longe omnes superasse; resipuisse etiam; nomen boni ab *Hepidano* accepisse: (possunt enim hæc cum prioribus in concordiam redigi) dummodo fateatur, eum ad Vngaros secessisse, multarumque cladium in Germania caussam, *& Fortunæ Boicæ part. II. lib. II. n. X. seq.*

variorumque tumultuum facem atque tubam fuisse. Quod ab *Adelzreitero* fere conceditur *Hist. Boic.* Part. I. Lib. XIII. p. 321. & 26. Ceteras enim de dira Arnulphi morte nenias ipsi deridemus, ac deridendas aliis propinamus.

(z) Burchardus a. Ɔccccxvii. Erchangero, & Berchtoldo fratribus interfectis, ac Hungaris in Allemanniam & Alsatiam regnumque Lotharii irrumpentibus Regis ac Sueuorum adsensu Dux constitutus est. Fuit is filius Adalberti Comitis, qui sub Ludouico Germanico, Carolo Crasso, Arnulpho, & Ludouico Puero ad lacum Acronium vixit, & pagum Turgouiensem, more æui Carolini, plusquam XL. annorum spatio administrauit: quod ex variis chartis *Melchioris Henrici Goldasti, & Ioachimi Vadiani* ad liquidum perduxit *Wolffgangus Erneſtus Tenzelius* vir in historiarum lectione adsiduus ac sagacissimus in *Vindiciis Censuræ Diplomatis Ludouiciani* p. 220. seq. Ego, ne lectori dubium subnascatur, vnam tantum, & quidem LXXXV. Goldasti, exhibeo: *Notum sit tam præsentibus, quam futuris, quod anno secundo Domini Arnolphi Regis factum est placitum in pago, qui dicitur Para, in villa nuncupata Durcheim coram Burghardo Comite filio Adalberti illustris.* Hic igitur acceptis Erchangeri, ac Berchtoldi prædiis, præter dotem Berthæ viduæ debitam, Ducis dignitate auctus est; bellator fortis, vt a *Witechindo* insignitur, sed qui sacerdotibus non minus ac Arnulphus Boiorum Ductor vehementer displicuit. Inprimis Coenobitas S. Galli de eius exactionibus legimus conquestos; quod data militi prædandi licentia prædia ipsorum improbe diripuisset. Vnde intelligitur, quamobrem S. Wiboradæ (*) cuius

cuius vitam *Hepidanus* (**) delineauit, omne genus malorum ei prædixerit. Antiquitas sane firmiter sibi persuasit, necem Burchardi a Wiborada esse denunciatam. Dabo *Hepidani* verba: *Sicque discessit in Ramoth Galaad infaustus peruasor substantiæ Naboth, Ietzrahelitæ, experturus in eodem itinere Dominum locutum esse per os Michæ. Nam insperato in foueam cecidit, & ita quasi quadam præsaga fine malorum de medio sublatus est, itaque in lacu æternæ miseriæ digna sua prauitate præmia accepturus.*

(*) Refertur hæc Wiborada in numerum, vt vocant, recluſarum, quæ in cellula exigua & firmiſſimis vndique munitionibus circumſeptæ ab hominum conſpectu remotæ degebant. Ioannes Mabillonius in Annalibus Benedictinis Tom. III. p. 309. ample deſcripſit, qua conditione eiuſmodi concluſio tam viris, quam feminis conceſſa, quibuſue etiam modis fuerit cœpta, ac peracta. Noſtra Wiborada ob diuinandi, qua polluiſſe fertur, facultatem percelebris exſtitit; miraque de illa Hartmannus Monachus in vita, quam Henſchenius in Sanctorum actis ad diem II. menſis Maii, & ex eo Mabillonius Sæcul. V. Benedict. recitarunt, litteris memoriæque prodidit. At quo magis mira, quæ recenſentur, apparent, eo minus videntur credibilia.

(**) Quæſtio ſpinoſa eſt, vtrum Hepidanus, qui condidit annales perinde etiam ſcripſerit vitam S. Wiboradæ. Goldaſtus, qui vtrumque librum publici iuris fecit, Hepidanos diſtinguit. *Diſconueniunt enim*, inquit Tom. I. Rer. Allem. P. I. p. 1. & P. II. p. 231. *tempora & ſtilus. Ille, cum annos in membrana ſua adſcripſiſſet cIↃ LXXXVII, morte tamen (quomodo mihi perſuadeo) præuentus in cIↃ LXII. ſubſtitit. Iſte vero in præfatione ad Vdalricum Abbatem teſtatur, ſe ab anno demum cIↃ LXXII. ad ſcribendum vitam illam acceſſiſſe. Quo indubie. annales hoſce perduxiſſet, ſi auctor eorum, atque pater exiſteret. Iam ſtilus & genus dicendi quam alienum ſit ab eo, quod in vita, nemo eſt, qui vtrumque legerit, qui non ſtatim dicturus ſit, toto cœlo diſtare. Fuerint ergo duo Hepidani, qui eodem tempore vixerint, ſicut duo fuere Ratperti, duo Hartmanni, duo eo-*

dem tempore Ekkehardi, duo Notkeri &c. Sed eumdem reputant Christophorus Sandius Animaduerſ. in Voſſii Hiſt. latin. p. 252. edit. pr. ac Gothofredus Henſchenius in præuio Commentario ad vitam Wiboradæ n. 3. vt & Wolffgangus Erneſtus Tenzelius in vindiciis cenſuræ diplomatis Ludouiciani p. 247. qui palmarium Goldaſti argumentum deſumtum a tempore ſolide confutat. Neque enim adeo abſonum eſt, Hepidanum vitam Wiboradæ a. cIↃ LXXII. adornaſſe, & plus quam decennio poſt vitam adhuc vixiſſe. Saltem pro comperto habendum eſt, Hepidanum a. cIↃ LXXXVII. in viuis fuiſſe, quod ad eum vſque annum annalium perducere filum conſtituit. Quocirca bene Tenzelius Henſchenii σφάλμα notat, ac obſeruat, qui Hepidanum iuuenem Commentarios, vitam autem Wiboradæ natu iam prouectiorem conſignaſſe litteris credidit. Inuertendum potius hoc ratiocinium eſt, dicendumque, vitam Wiboradæ a. cIↃLXXII. ſcribi cœptam, annales autem poſt annum cIↃ LXXXVII. aut ſaltem eo ipſo anno. Ceterum & Eckardus & Hartmannus S. Wiboradæ rebus geſtis depingendis ſtilum accommodarunt. De poſtremo diximus; de priori Goldaſtus videndus eſt Tom. I. P. I. p. 2.

(a) Giſelberti ſtirpem vix melius, quam ex charta Gerbergæ coniugis cognoſcemus, quæ in *Auberti Miræi* Donationibus Belgicis Lib. I. cap. XIX. reperitur. Ibi illa S. Remigio ſuum alodium conſecrat *pro ſalute tam ſua, quam remedio ſenioris ſui Giſelberti, ſuique parentum, patris ſcilicet & matris Rageneri & Aldradæ a. Dcccc LVII. in villa, quæ dicitur, Hacta.* Raginerius autem Conradi I. ætate adhuc in viuis fuit, eumque pro Rege ac Domino initio agnouit, donec Carolus Simplex maiorum iure Lotharingiam repeteret, & largiorem hereditatem adfectaret, quod a. Dcccccxii. factum fuiſſe concludimus, quoniam ab hoc tempore Carolus largioris hereditatis indeptæ in quibuſcumque fere diplomatibus mentionem fecit. Sed eſt tamen veriſi-

Pfür cap. 37.

verisimile non totam Lotharingiam Caroli imperium subiisse, sed partem Galliæ proximam. Vnde Conradus Vltraiectensi Præsuli, & quæ eius ecclesiæ competebant, iura adhuc a. Ɔcccccxiv. confirmauit. Postea vero quam Conradus a variis hostibus oppugnatus, & Raginerius vltimam vitæ lineam absoluisset, accessit quoque reliqua inferioris Lotharingiæ portio. Vnde in quibusdam Diplomatibus ab hac Epocha nempe ab a. Ɔcccccxvi. largior hæreditas ducitur. Quod, si verum est, atque certum, sequitur, vt quatuor, non autem tres Epochæ, (quemadmodum *Antonius Pagius* vir laude nostra maior fecit) Carolo Simplici sint adsignandæ. Atque adeo quidem prima recte ducitur a die XXVII. Ianuarii anni Ɔcccxcii. quo coronatus est; secunda a die III. Ianuarii anni Ɔcccccviii. quo successit Odoni Regi: tertia ab anno Ɔcccccxii. quo Lotharingiæ amplam partem adquisiuit: & quarta denique ab anno Ɔcccccxvi. sub cuius primordia Raginerius naturæ debitum persoluit. Nam anno hunc præcedente in diplomate Caroli Regis VIII. Kalendas Septembreis dato non sine honoris quadam præfatione Raginerius etiamtum allegatus *Marchionis fortissimi* nomine decoratur. Quod, cum Aubertus Miræus in Notitia ecclesiarum Belgicarum cap. XLIV. ipse vulgauerit, insolens sane videtur, eum Raginerii obitum ad annum Ɔcccccxiv. in Annalibus Belgicis retulisse. Rectius *Saxonicum Chronicon* (*) quod adhuc ineditum a solertis ingenii Viro *Ioanne Mabillonio* diligenter lectum est, Raginerii obitum ad annum decimum sextum post nongentesimum commemorat. Vnde huc demum pertinet, quod Petrus Pithœus ex Conradi

adscripsit in notis ad
donat. piar. cap. 37.
pag. 48. edit. noviss.

Vrspergensis Chronico fragmentum publicauit: *Hac tempestate*, illius verba recito, *Regenerius vir nobilis partium Caroli fidissimus tutor finem vitæ accepit, cuius exsequiis Carolus interfuit. Hisque peractis Gisiberto filio eius iam adulto paternum honorem coram Principibus, qui confluxerant, liberalissime contulit.* Atque adeo etiam veterum scriptorum recensio non nisi cum extensione accipienda est, qui Giselbertum statim circa primordia regni Conradini defectoribus principibus adsociant. Neque enim is Ducis auctoritate ante annum decimum sextum supra nongentesimum refulsit.

(*) Putauit vir celebris in notis ad vitam Gerhardi Bronienſis, quod Tom. V. sæculo Benedict. p. 263. recitat, istud Chronicon ante finem sæculi X. ab auctore ignoto esse scriptum, nec vmquam inter scriptores Germanicos comparuisse. Sed legit tamen anonymus vitæ Gerhardi scriptor, legit etiam auctor Chronici Saxonici siue Magdeburgensis MS. Nam plurima eius verba sibi sumsit. Nescio, vtrum Mabillonius Chronicon Magdeburgense, quod sub Chronographi Saxonis titulo vulgauit Cl. Leibnitius; an vero aliud intelligat, quod ab Antonio Pagio quoque sæpius allegatum obseruauimus.

(b) Et hac ratione intelligitur, quare Conradus ingenue sit fassus, Henricum in regno parem habere neminem.

§. XIV.

Enimuero haud scio, vtrum maiori laude dignus videri debeat Conradus, qui nobiles inimicitias, quæ Germaniam olim tot cladibus deformarunt, tam honesta ratione sopiuit; an Euerhardus frater, qui seipso prætermisso, ac regni purpura posthabita imperii insignia ad Henricum detulit? Credibile est hunc principem

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [82] - 70
PUBLIC DOMAIN

pem circa Hercyniam (c) in confiniis Thuringiæ hæsiſſe, cum gladius, diadema, atque ſceptrum vna cum lancea ei traderentur. Nonnulli, vt iam monuimus, Stauffenbergam arcem; alii Quedlinburgum, quidam Brunſuigam nominant, vbi aucupio intentum deprehenderint Germaniæ proceres. Sed vereor, vt tot ambiguæ narrationes, atque in vulgus editæ hiſtoriolæ ad conſonantiam reduci queant. Hoc manet, atque fixum eſt, eum auibus decipiendis nonnihil temporis impendiſſe, concinnataque hac atque illac area, varia iſtius rei veſtigia reliquiſſe. Sunt qui ſe nummos vidiſſe adſeuerant icuncula Henrici volucrem dextra geſtantis ſignatos, ornatoſque. Quos cum meis oculis numquam vſurpauerim, ſuperſedeo verbis, atque eos potius, qui Illuſtriſſimi Comitis Schwarzenburgici gazam, atque λείψανα nummaria curant, rogo, atque obteſtor, vt ſi quid ſuppetat ad Aucupis longe illuſtriſſimi res exponendas deſcribant, ac ingenuarum litterarum bono aliquid concedant. Interea ſatis, puto, conſtare, ſummos homines, atque imperii principes iuſtis Wilinaburgi defuncto Regi perſolutis Fritislariæ primum de regali poteſtate Henrico tradenda conſilia agitaſſe. Auctores nonnulli perplexe hac de re loquuntur, atque obſcurius paullo. Plures tamen inuenio, qui ſpatium interiiciant, ac poſt exſequias (d) demum Eberhardum (e) in conſpectum Saxonici Ducis producant. Quos, vt ſequar, inclinat animus (f). Et tum igitur actum cum eo legimus de imperii onere ſuſcipiendo, in quo, neſcio, quem ἀκκισμὸν, aut adfectatam repugnantiam quidam ei tribuant (g). Quod vtcumque ſit, in hoc certe ſaniores conſentiunt, Henricum Francorum orienta-

entalium, Allemannorum, Boiorum, Saxonum, atque Thuringorum (h) Procerum ſuffragiis Regem anno ſupra nongenteſimum vndeuiceſimo deſignatum fuiſſe (i). Atque his conſtitutis tandem contigit, vt quum vnctionem ei atque coronam Herigerus (k) Moguntiæ Pontifex offerret, ad diſperſam, atque diſſipatam rempublicam, primordiis a Deo captis, tanto felicius capeſſendam, ille refragaretur, quaſi tanto beneficio foret indignus. Contentus, inquiebat, ero, ſi manibus in cœlum ſublatis fidem publicam præſtetis, iunctiſque animis Regem inter Saxones primum ſolenni voce me pronuncietis (l). Quod etſi factum, &, vt iubebat, præſtitum, fabulis tamen nonnullis, variiſque coniecturis anſam dedit (m).

(c) Hoc tamen exploratum exiſtimo, Henricum eo tempore Quedlinburgo abfuiſſe; quamuis ſcriptores nonnulli contrarium adfirment. Quare enim Eberhardi profectione poſtea opus fuiſſet, ſi, quem quærebat, Dux eo in loco præſens egiſſet?

(d) Placet Ditmari narratio p. 325. *Interea Conradus longa infirmitate detentus, & quia poſt inimicitias & iram meminiſſe malorum eſt, totius contrarietatis, quæ ſibi ex parte Henrici prouenerat, oblitus, fratri ſuo Eberhardo populoque primario in vnum collecto conſilium hoc dedit, ſi quando naturæ communi concederet, vt Henricum regni gubernaculo vndique ſecus aptum, eligerent, animamque ſuam cum reſidua conſanguineorum atque familiarium caterua firmæ ſuimet fidei committerent, & ad hoc ſine aliqua dilatione conſentirent. Hanc petitionem extremam cum magno luctu & gemitu ſuſcipien-*

pientes, & impleturos se, vita comite, promittentes festino eius obitu in VIII. ordinationis suæ anno XIV. Calend. Novemb. pro dolor completo, ac exsequiis in Limburg peractis discessere, & concione in Friteslari celeriter posita, Henricum coronauerunt, & sibi credita sub Christi & totius ecclesiæ testimonio fideli non sine lacrymis regi tunc & domino commendauerunt. Luitprandus ex transuerso, tamquam vno halitu cuncta essent peracta, rem effert Lib. II. cap. VII. *Ex corruptione ad incorruptionem, ex mortalitate ad immortalitatem vocationis meæ tempus agnosco, & vt cernitis, præsto est; proinde pacem concordiamque vos sectari etiam atque etiam rogo. Me hominem exuente nulla vos regnandi cupiditatis titillet, nulla præsidendi ambitio inflammet. Henricum Saxonum & Thuringorum Ducem prudentissimum Regem eligite, Dominum constituite. Is enim est & scientia pollens, & iustæ seueritatis censura abundans. His itaque prolatis propriam coronam non auro, quo cuiuscumque ordinis pene principes pollent, verum gemmis pretiosissimis non solum, inquam, ornatam, sed grauatam, sceptrum & cuncta, quæ regalia sunt, indumenta in medium venire præcepit, ac prout valuit, huiusmodi verba effudit: heredem regiæque dignitatis vicarium regalibus meis ornamentis Henricum constituo, cui vt obediatis non solum consulo, sed & oro. Quam iussionem mox sequitur interitus, & interitum est obedientia prosecuta. Ipso namque mortem obeunte memorati principes coronam cunctaque regalia indumenta Henrico Duci contulerunt, atque, vt Rex Conradus dixerat, cuncta per ordinem narrauerunt. Qui regiæ dignitatis culmen & prius*

humiliter declinauit, ac paullo post non ambitiose suscepit.

(e) Referunt hanc circumstantiam *Witechindus* & *Eccardus* Monachus *de casibus S. Galli.* Atque hic inprimis cap. V. paullo fusius, interspersis momentis, quæ apud alios non comparent: *Conradus Rex virili prole carens Eburhardum autem fratrem habens ad regni gubernacula, si sibi superuiueret, aspirantem: sensit enim nec regno virtute quidem habilem, nec populo moribus acceptum, rogantemque, cum ipse iam seneſceret, vbi se populo commendaret, crebro frustrauit. Incipiens autem mori clam loquitur fratri; Video, ait, germane mi, & semper vidi te a populo nolle accipi, ideoque quod sæpe rogaras, nec te contristarem, tacite distuli. Consilium autem meum si nunc feceris, vt in Deum spero, inglorioſus non eris. Est in Saxonia, cui neminem in regno æquiparem scio, Henricus quippe Comes Mathilda coniuge clarus. Sumens ergo coronam & sceptrum, nocte dieque accelera ad ipsum, teque & regnum ei meis verbis in manus dato, & meæ vitæ memores fore ambos rogato. Fecit igitur vt Rex iusserat, venienſque secretum Comitis petiit alloquium. Eliminatis omnibus ipse ostium clausit, chlamideque exuta ad pedes viro corruens nimis stupenti coronam & sceptrum detegit, & quæ iussus est narrat. Cui ille inter cetera, si secum in fide qua dixerat sentire vellet, omniaque quæ tanto nuncio decerent facturum spospondera t.* Ceteri fere de Eberhardo nihil memorant.

(f) Neque enim probabilis ratio suppetit, quare tanta festinatione, ac cursu tam effuso Henricus conueniri debuisset, Conrado nondum terræ mandato

dato, Eberhardo lugente, ac pleriſque proceribus regium funus comitantibus. Et quamuis Eckardus præcepiſſe regem memoret, vt noctu atque interdiu iter faciendo ad Saxonum Ducem citatis paſſibus contenderet frater: ſcimus tamen non omnia Eckhardi tam certa eſſe, quam quæ ſunt certiſſima.

(g) Luitprandus, atque Siffridus Preſbyter in hunc cenſum referendi ſunt: quorum verba iam recitauimus.

(h) Vt ita ſtatueremus ſupplementum Reginonis perfecit: *Henricus Dux conſenſu Francorum, Alemannorum, Bauarorum, Thuringorum, & Saxonum Rex eligitur.* Qui in Ducibus omne electionis momentum ponunt, nobis hic contraibunt, & appendicis auctorem a vero aberraſſe opinabuntur: quod Burchardus, atque Arnulphus Duces a ceteris diſſentirent. Sed operæ pretium non eſt ita cogitare, atque diſſerere. Neque enim Arnulphus totam Bauariam repræſentabat; neque Burchardus Allemanniam, niſi quidem Septemuiros ea iam ætate per ſomnum videas. Valebant tunc Epiſcoporum, Abbatum, aliorumque illuſtrium Satraparum perinde, vt Ducum ſuffragia. Et iſti autem plerumque ab Ducibus diſſidebant, quod hi altiora meditantes ceteros ſuperbius tractarent. Itaque nulla res cogit, vt Allemannos atque Bauaros eligentium circulo remoueamus.

(i) Turba ſcriptorum annum viceſimum ſupra nongenteſimum indicat. Sed refelluntur teſtimoniis, ac ſolidis quibuſdam rationibus. Namque Luitprandus Lib. II. cap. VII. *Conradum ſeptimo regni ſui anno e viuis exteſſiſſe* refert. Atqui e diploma-

plomate Vltraiectino, quod est apud Hedam in Hist. Episc. Vltrai. p. 73. ad liquidum perduci potest, illum anno Ↄcccccxi. post diem IX. mensis Iulii rerum esse potitum. Et Hepidanus in Annalibus suis testatur, Regem a. Ↄcccccxviii. vitam cum morte commutasse: cui Chronographus nonasterii S. Galli, Hermannus Contractus, & Marianus Scotus in primis adstipulantur, qui addit, Conradum exspirasse X. Kalendas Ianuarii. Ditmarus XIV. Kalendas Nouembreis substituit: sed cum hic in annis imperii Conradini definiendis sit lapsus, parum eius calculo in hac quidem caussa tribuimus. Si quid coniicio, a. Ↄcccccxix. mense Aprilis, aut Martii Henricum sceptris esse donatum putem. Nam charta, quam *Nicolaus Schatenus* Annal. Paderborn. Tom. I. p. 258. e Corbeiensium tabulario exhibuit *X. Kalendas Martias anno incarnationis Domini* Ↄcccccxxii. *itemque glorioſiſſimi Regis III. Indictione X.* data dicitur; vnde apparet, Henricum demum post Februarias Idus imperii clauum obtinuisse.

(k) Hattoni a. Ↄcccccxii. fatis functo Herigerus in Moguntina sede suffectus est. *Nicolaus Serarius* † Fuldensem Abbatem, *virumque diuturna religionis exercitatione commendabilem* probat ex quodam Moguntino codice, quem minorem vocat. Quod si ita habet, non dubito, quin sit Huoggi, seu Huoggerus, quem *Christophorus Browerus* in Annalibus Fuldensibus p. 282. a. Ↄcccccxii. a Conrado Rege insigne monasterio priuilegium impetrasse notat. Eumdem Arnulpho Regi percarum fuisse ex eo paret, quod hic Herigero librum Euangeliorum *S. Bonifacii* manu exaratum dono dedit. Id sicuti a *Browero* diligenter obseruatum est;

† *Moguntiacarum Rerum lib. IV. p.* 674.

est; ita miror, eum ne suspicatum quidem esse, hunc Huoggerum Moguntinæ ecclesiæ Pontificem egisse. Sed vidit hoc doctissimus *Mabillonius* Annal. Benedict. Lib. XLI. n. LXX.

(l) In *Bruschiano* catalogo exstat: *Vnxit Herigerus Henricum Aucupem in Regem.* Quod indicio est, *Braschium* veterum auctorum Commentarios vel non legisse, vel perfunctorie lustrasse. Ita enim Witechindus: *Deinde congregatis principibus, & natu maioribus exercitus Francorum in loco, qui dicitur Fridisleri, designauit eum regem coram omni populo Francorum atque Saxonum. Cumque ei offerretur vnctio cum diademate a summo Pontifice, qui eo tempore Herigerus erat, non spreuit, nec tamen suscepit, satis, inquiens, mihi est, vt præ maioribus meis Rex dicar, & designer, diuina annuente gratia, ac vestra pietate: penes meliores vero nobis vnctio, & diadema sit: tanto honore nos indignos arbitramur.* Consimiliter Ditmarus rem refert p. 325. *Episcopalis vnctionem benedictionis a Herigero Archiepiscopo exhibitam, antecessorum more priorum, non desiderauit, nec suscipere voluit, sed prorsus ad hoc indignum se affirmauit.* Quæ verba eo adieci, vt constaret, a falso propius abesse, qui dicunt, etiam Conradum I. oleo sacro non fuisse vnctitatum. Refertur enim de Henrico veluti singulare, eum ab his abstinuisse solennibus: vt taceam, *Witechindum* diserte de Conrado contrarium statuentem.

(m) Ab Ebræis ad Christianos mos inungendi Reges peruenit. Qua vero ætate, quoue temporis articulo disceptant. De Romanis Principibus, atque Imperatoribus indubitatis argumentis liquet, eorum neminem vsque ad Carolum M. Imperato-

rem ſolenni vnguento fuiſſe delibutum. Eo enim fine principatum ſuſcepturi clypeo in altum ſublati ab lectiſſimis viris, aut iuuenibus populo oſtendebantur, vt cognoſceret, eos in poſſeſſionem hoc pacto mitti, quaſique inaugurari. Vnde in *Chronico* veteri, quod *Cuſpinianus* primum euulgauit, perpetua fere de Romanis Imperatoribus formula occurrit: in Imperatorem *leuatus* eſt, aut abſolute *leuatus* eſt. Apud Græco-Romanos olim eodem modo, vnctionis ritu neglecto, imperium noue electis tradebatur; quod idemtidem vſitatus loquendi mos ſatis firmat, βασιλεὺς ἐπὶ σκυταρίῳ καθεσθείς. Eam ob cauſſam *Dauid Blondellus* vir cordatiſſimus Apol. Geneal. Franc. Tom. I. n. LXI. * b animum induxit, ac aliis etiam perſuadere magnopere laborauit, Imperatores Conſtantinopolitanos numquam eiuſcemodi vnguento, ſacerdotis manu, fuiſſe ſuperillinitos. In quo tamen vapulat, & ab *Ioanne Chriſtophoro Becmanno* de Dignit. Illuſtr. Diſſ IV. cap. II. n. 6. *Georgii Codini* verbis, qui de officiis curiæ & eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſæculo XV. ſcripſit, confutatur. In eo interea non conueniunt auctores, vtrum ſub Iuſtiniano, vel poſt eius ſtatim exceſſum, an poſt longam demum intercapedinem iſta Byzantii cærimonia inualuerit? *Onuphrius Panuinius* de Comitiis imperii cap. II. priorem opinionem amplectitur: nonnulli poſteriorem probant: alii itemque clariſſimi viri hærent, neque, quo ſe vertant, ſciunt. Ego, ſi quid coniecturis eſt concedendum, exiſtimarem, coronationem Iuſtini II. aliaſque, quæ hanc conſecutæ ſunt, Panuinio nonnihil patrocinari. Saltem *Corripus* vates Africanus non ignobilis, cuius Epos

pos quatuor libris comprehenſum in Iuſtini minoris laudibus prædicandis occupatur, hæc de Heroe ſuo Lib. II. cap. V. recenſet:

Pontificum ſummus plenaque ætate venuſtus
Adſtantem benedixit eum, cœlique potentem
Exorans Dominum, ſacro diademate iuſſit
Auguſtum ſancire caput, ſummoque coronam
Imponens apici.

Et mox:

Ipſe coronatus ſolium conſcendit auitum.

Ante hunc vero ſummi Pontificis opera Conſtantinopolitanos Imperatores corona, aut diademate redimitos vix oſtendes: quamuis poſtea aliquanto non deſint exempla multo clariora. Nam ſi quæ in *Chronico Alexandrino*, itemque apud *Theophanem* de Heraclio Iuniore, cui Conſtantini nomen indebatur, leguntur, vna penſito, nullum mihi dubium amplius hæret, aliam in inaugurandis Principibus religionem illis temporibus eualuiſſe. Apponam Anonymi Alexandrini verba: *Hoc anno* (DXXXI.) *menſe Audynæo, Romanis XXII. Januarii feria II. filius Heraclius Iunior Conſtantinus Imperator a patre ſuo Heraclio in palatio inauguratus eſt, & recta adſcendit circum, ibique coronatus a ſenatu Imperator eſt adoratus, & a factionibus fauſtis acclamationibus conſalutatus. Itaque cum patre ſuo egreſſus eſt ad magnam eccleſiam a Philaratho geſtatus* &c. Quid vero ibidem ſit factum, ex Theophane declarabo: *Heraclius*, inquit, *Heraclii filius, nouus Conſtantinus a Sergio Patriarcha imperii collega coronatus eſt.*

Heic

Heic altum de ſublatione in clypeum ſilentium eſt; eoque manifeſtum, nouum conſecrationis ritum abolita veterum cærimonia, aut ſaltem intermiſſa paullulum, in mores irrepſiſſe. Cui non refragatur, neminem tamen ſcriptorum æqualium vncturæ diſerte mentionem feciſſe. Sufficit enim coronationis memoriam per ſummum Pontificem exſtare, quæ vt ſine conſecratione, ita etiam vnctione non fuit. Hoc enim *Codini* verba prorſus peruincunt, quæ, ne ſcrupulus maneat, repeto: *Silentio facto mittens Patriarcha aduocat Reges, qui etiam veniunt in ſuggeſtum ſacrum, vbi & Patriarcha: cumque aduenerunt, legit ille preces compoſitas ad vnctionis Regum, alias ſubmiſſe, alias etiam clara voce enuncians. Supplicat autem & propitium appellat Deum pro eo, qui Rex vngendus eſt. Poſteaque tollit Rex nouus quidquid in capite geſtat: & ſtatim quicumque in æde verſantur aperiunt capita ſtantes. Patriarcha vero vngit ad formam crucis caput Regis diuino vnguento, pronuncians interea magna voce ſanctus. Omnes autem, qui in ſacro ſuggeſto ſunt circum Patriarcham, excipientes vocem eius dicunt ipſi quoque tertio, ſanctus. Etiamque ſimiliter reliqua populi multitudo dicit eadem verba tertio.* Vtrum vero vnctionis religio a Græcis ad Gothorum in Hiſpania Reges defluxerit, vt vult *Ioannes Iacobus Chiffletius* in tractatu, quem de Ampulla Rhemenſi inſcripſit, equidem ambigo, nec certi quid pronuncio. Illud ex *Chronico* MS. quod Bruxellæ reperitur, nunc clariſſimum eſt, ac *Blondelli* etiam iudicio certum, Wambam Regem oleo ſacro fuiſſe perfuſum, vt qui a. IↃCLXXII. in ſolium eſt eue-ctus. *Blondellus* exiſtimat, Gothos hunc ritum propter-

propterea adhibuisse, vt Regibus, quos suffragiis designabant, maior inde auctoritas, atque sanctitas conciliaretur. Apud Francos serius mos invaluit. Nam quod nonnulli de Chlodoueo ex *Gregorio Turonensi* Lib. II. cap. XXXI. perhibent, falsum est. Neque enim is de regali consecratione, sed de chrismate sacro, quod ad actum Baptismi pertinet, intelligendus est. Itaque vel Pipinum tali vnguento primum imbutum esse oportet, vel Carolum M. *Marquardus Freherus* Consiliarius Palatinus, vir meliorum litterarum commodo natus cum *Petro de Andlo*, quem eruditis adnotationibus expolsuit, Carolo id veluti præcipuum attribuit. Sed ab ianua cum sequacibus aberrat. Nam Pipinus Pater non tantum a Zacharia Romanorum Pontifice, verum etiam a S. Bonifacio vnctus est. Quod etsi Cointius in Annalibus negat, non est tamen illi sat rationis, atque caussæ. Fatemur quippe neque Wilibaldum, neque Othlonum in vita Bonifacii rei adeo insignis mentionem agitasse: sed dubitamus, nec forte immerito, vtrum eiuscemodi silentium inficiali statui, aut argumento locum faciat, cum vnanimia fere auctorum suffragia præsto sint. Sane scriptor clausulæ libro Gregorii Turonensis de Gloria confessorum subiunctæ, σύγχρονον Pipino, dum abdicationem Childerici Regis fideli calamo delineauit, signanter adiicit: *Pipinus Rex pius, per auctoritatem & imperium sanctæ recordationis Domini Zachariæ Papæ, &* vnctionem *sancti chrismatis per manus beatorum sacerdotum Galliarum, & electionem omnium Francorum in regni solio sublimatus est.* Et hanc autem clausulam integram vulgarunt *Henschenius* in Exegesi præ-

liminari ad Tom. III. SS. menſis Martii, vt & *Mabillonius* Lib. V. de Re diplomatica p. 384. Quæ cum confutando *Cointio* ſufficere potuiſſent, non adquieuit tamen in his indefeſſa Antonii Pagii induſtria; vtpote qui in Critica, vt vocat, Hiſtorico Chronologica ad a. IↃCCLII ſpeciatim a S. Bonifacio Pipinum vnguine linitum ex Reginone, Mariano Scoto, Sigeberto, Annalibus Tilianis, Metenſibus, Fuldenſibus, aliiſque probauit, ac denique ex ſecunda Fredegarii appendice hunc memorabilem locum produxit: *Vna cum conſilio & conſenſu omnium Francorum, miſſa relatione a ſede Apoſtolica, auctoritate percepta præcelſus Pipinus electione totius Franciæ in ſedem regni cum conſecratione Epiſcoporum, & ſubiectione Principum, vna cum Regina Bertradane, vt antiquitus ordo depoſcit, ſublimatur in Regem.* Quod quamquam *Cointius* etiam vidit, eo tamen eſt dilapſus, vt textum interpolatum diceret, redundanteſque voces *cum conſecratione Epiſcoporum, & ſubiectione Principum* delendas ſine Codicum MS. fide intonaret. Accedit, quod *Nicolaus Serarius Mogunt. Rer.* Lib. III. Not. XXXVIII. p. 523. Ludouici Imperatoris epiſtolam ad Hilduinum adferat, in qua auum ſuum cum Carolo & Carolomanno filiis ſolenni ratione vnctum adfirmat: vt *S. Ludgeri* Monaſterienſis Præſulis ad *Rixfridum* litteras taceam, vbi diſertim Bonifacio tota coronationis cærimonia adſcribitur. Quamobrem facere non poſſum, quin cum doctiſſimo Pagio Pipinum inter Francos primum ab vnctore Bonifacio inauguratum, conſecratumque pronunciem. Et hunc ritum cum ceteri poſt Carolum Reges, atque Principes, ſacerdotibus deuoti, lubenter admiſiſſent, factum eſt,

falsch

est, vt tamquam insolens quid piam in Henrico notarent auctores, atque hanc eius modestiam vel affectatam, vel minus prudentem nominarent. Refert auctor vitæ S. Vdalrici Augustensium Præsulis, huic per visum gladios duos monstratos cum capulo vnum, sine capulo alterum, vocemque simul additam: *dic Henrico Regi, ensis ille qui sine capulo est, significat Regem, qui sine benedictione pontificiali regnum tenebit: capulatus autem, qui benedictione diuina tenebit gubernacula.* Quæ visio, vtut inepta, vel etiam commentitia, luculenter indicat, quam de vnctura opinionem sacrorum Antistites ea tempestate habuerint, fouerintque. Hac enim maiestatem demum Regibus infundi, vt sacrosancti in terris habeantur: hac maximos in Regis venerationem allici Pontifices, putabant, hac effici credebant, vt loco cedant, illoque aduentante erecti stent, ac ceteri denique, cum ad Regem accedunt inclinato corpore humillime se submittant. Adeo omnia, quæ ad regalem auctoritatem pertinent, Flaminum consecrationi sunt adglutinata, ne eorum carere opera possent, qui a sibi subiectis obsequium atque cultum exposcerent. Vnde non potuit non sacrificulorum turbæ factum Henrici displicere. Ego interea ab omni partium studio alienus non modo non nego, Aucupem contra maiorum instituta actitasse; sed etiam semper & meminero, & lubenter fatebor, eumdem a politicis regulis aliquantum deflexisse. Dandum enim est interdum aliquid vulgi opinionibus, eundumque non qua licet, sed qua conducit. Satis vero elucet, in publicum emanasse hanc, vtut absonam, sententiam. Igitur si non necessarium, tamen salutare

reipublicæ rationibus fuiſſet, in qua multi vagabantur res nouas molituri. Grotius in notis ad III. Reg. cap. I. n. 34. obſeruat, *Hebræos Reges extra controuerſiam regni heredes vngi non ſolitos, ſed exortis controuerſiis adhibitam vnctionem ad maiorem cautionem.* Quid? ſi Henricus ex eadem circumſpectione hunc ritum foret ſecutus? credo recte. An ſecus? & non putem. Quid enim ſi res contra cecidiſſet? Tum vero illi, qui rebus diuinis præerant, haud dubie ob ſacrorum religionem omiſſam, cauillandi anſam arripuiſſent.

§. XV.

Regno ſic accepto nihil prius habuit Princeps ſagax, quam vt ab Hunnis, atque barbaris fœdatam, ac nobilium latrociniis vaſtatam ciuitatem paullulum reficeret (n). Fruſtra enim arma ſunt foris, niſi conſilium domi, quies atque otium reperiatur. Iccirco rebus demum bene compoſitis cum cohortibus ſuis in Allemanniam contendit, vt Burckhardum, qui Rudolpho Burgundionum Regi arcto ſeſe fœdere iunxerat (o), ad officium reduceret. Vrebat Sueuum improuiſa Saxonis felicitas, quem anno abhinc auctoritate, gloria, meritis exæquaſſet. Non credidit Henricus, breui adeo ſpatio bellum confectum iri, quod ſciret, victorias proſpero ductu partas magnam ei fiduciam attuliſſe. Sed quum tamen legiones repente inſtructas veluti in acie certo gradu accedere Dux videret; mutauit mentem, ſiue certaminis ancipiti periculo, ſiue ſubito aduentu territus, pacemque arbitris interuenientibus fecit fortunæ ceſſurus (p). Ad hæc eodem anno ad Bauaros itum, vbi Arnulphus ab Hungaris redux ad ſummam rerum

rerum adſpirabat, fretus, militibus ſuperioribus præliis exercitatis, ac aliorum populorum ſtudiis, qui ad regiam dignitatem retinendam magnopere eum exſtimulabant. Quod ſi Witechindi recenſio nonnihil roboris haberet, credendum foret, ipſum Arnulphum intra munitiones Reginoburgi hærentem, cum neque ſubſidio veniri, neque commeatus ſupportari intercluſis itineribus poſſet, deſperata prope ſalute in Henrici caſtra veniſſe, ac poſt obtentam defectionis veniam, dextera data, fidem futuræ amicitiæ ſanxiſſe (q). Sed texit; fateor, alia ratione Luitprandus hiſtoriæ ſuæ filum. Huic ſi calculos adiicimus, neque in vrbe Arnulphus, neque tectis ſeſe abdidit; neque adeo Henrici exercitum in Boicam irruentem exſpectauit; ſed aduentanti effuſo agmine obuiam proceſſit, prælii exitum fortunæ magno animo, nec minori ſpe commiſſurus, niſi legatos Rex miſiſſet, qui colloquii copiam exigerent (r). Quæ omnia adeo prope a veritate abeſſe videntur, vt Brunnerus atque Adelzreiterus ſcriptores Boii hanc narrationem præ ceteris probantes, orationem, quam Luitprandus Henrico adfingit, multis verborum luminibus illuſtriorem reddiderint. Mihi perinde eſt, quamcumque aliquis recenſionem ſuffragio ſuo dignetur. Vtrobique enim conſentitur, ac quaſi conclamatur, Arnulphum atque Henricum poſitis armis, ac turmis, quæ iam incitatæ erant, ſubito cohibitis, ad pacem atque concordiam rediiſſe. At ſuadet tamen propenſus ad quietem animus, quem veterum nonnulli (f) in Regis virtutibus ponunt, eſſe hic Luitprandi ſtilo paullo plus tribuendum, quam Witechindi, qui verbis nimium adſtrictis vtitur; et, quod ad poſteritatem memorabile, omittit.

mittit. Nam cum olim ad ius regium pertinuiſſet, cooptare in Bauaria Præſules, qui ab Ducis partibus plerumque alieni erant, nunc Henrici liberalitate eo res deducta eſt, vt illud acciperet Arnulphus arbitrium, ſacerdotalis auctoritatis aliquanto intolerantior. Hoc Luitprandus & Ditmarus adnotarunt (t): Witechindus ſilentio texit.

(n) Allegamus in hanc rem Supplementum Reginonis ad a. Ↄcccccxx. *Henricus initium ſui regni diſciplina pacis ſeruandæ inchoauit. Multi enim illis temporibus etiam nobiles latrociniis inſudabant.* Si Ioanni Philippo Dattio hæc obſeruatio innotuiſſet, non ab Henrici II. ætate demum fractæ pacis, ac inteſtinorum bellorum originem in eleganti *de pace publ.* tractatu duxiſſet; ſed ab Ludouici Infantis, Conradi I. ac Henrici Aucupis. De Ludouico Infante iam ſupra nonnulla produximus, vnde turbatæ reipublicæ ſtatus haud parum eluxit. De Conrado alibi diſſeruimus.

(o) Burchardi genus ac patriam ad §. XIII. luſtrauimus; nunc quæ ad hanc cauſſam pertinent, videbimus. Eſt enim vtique memoriæ imprimendum, Burkardum cum Tranſiuranæ Burgundiæ Rege atrox a. Ↄcccccxix. bellum geſſiſſe, eumque iuxta Vitoturum aperto prælio exſuperaſſe. Id Hermanni Contracti, aliorumque teſtimonia oſtendunt: *Burkardus Dux Allemanniæ Rudolphum Regem apud Winterturum pugna vicit.* Lazius vero pudendo errore Rudolphum Ignauum hanc cladem accepiſſe ſcribit, eamque anno nono poſt milleſimum refert. Cauſſam diſſidii Rudolphus dedit, qui Vitodurum primum Allemanniæ oppidum exulcera-

ceratis Germaniæ rebus obsedit, & oppugnauit. Iam vero inter dissidentes subito pax coaluit. *Dux Regem generum adsciuit*, inquit Franciscus Guillimannus Habsburgicarum rerum Lib. III. cap. I. *tradita Berchta filia, eaque ratione contra Henricum, cui per æmulationem infensus erat, opes suas firmauit.* Hinc Flodoardus in Chronico ad annum Ɔccccxxxvi. Burchardum *socerum* Rudolphi nominat: Luitprandus autem Lib. II. cap. xvi. clarius exponit: *Quo tempore Rodolfus Rex superbissimus Burgundionibus imperabat. Cui in augmentum potentiæ hoc accessit, vt potentissimi Sueuorum Ducis Burchardi filiam, nomine Bertham, sibi coniugio copularet.* Istud adhuc dubium manet, quomodo Burgundus Bertham potuerit in matrimonium ducere, vt qui iam vxorem habuit? Et idem rem Flodoardus exponit. *Hugo, filius Berthæ, Rex Romæ super Italiam constituitur expulso Rudolpho Cisalpinæ Galliæ Rege, qui regnum illud peruaserat, & alteri feminæ, viuente vxore sua, se copulauerat* &c. Credo, sterilem coniugis vterum diuortii caussam fuisse. Nam etsi quidam auctores adfirmant, Rudolphum ex priore vxore Bosonem filium suscepisse: non est tamen ita. Forte confunditur Rudolphi Francorum Regis frater cum Boso ne hoc commentitio. Caute *Antonius Pagius* in Critica H. C. ad Annal. Baron. Tom. III. p. 120. *Ex priore vxore a se repudiata* dicitur *suscepisse filium Bosonem nomine, de quo inter Historicos non conuenit.* Nec conueniet, puto, vsque dum Bosonis nomen de stemmate Rudolphi Burgundi expellatur. Suspicatur equidem *Nicolaus Vignerius*† Bosonem progeniei Berthæ adsociandum esse. Verum, præ-

† *Chron. Burgund.*

terquam *p. 96.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [99] - 87
PUBLIC DOMAIN

terquam quod in teſtamento Berthæ fatente Vignerio eiuſcemodi nomen non comparet; tum vero ex litteris primariis monaſterii Paterniacenſis (Peterlingen), quæ apud *Guichenonium in bibliotheca Sebuſiana* p. 1. exſtant, luce meridiana clarius pateſcit, Boſonem ad genus Rudolphi, ac Berthæ numquam pertinuiſſe. Teſtatur in illis Regina, ſe Paterniacum oppidum, cum rebus aliis *conſentientibus filiis ſuis Conrado glorioſiſſimo Rege, & Rodolpho Duce pro anima Rodolphi Regis, & filii ſui Burchardi Epiſcopi, atque Ottonis glorioſiſſimi Regis; nec non pro anima filiæ ſuæ Adelheidæ, & filiorum ſuorum Conradi ſereniſſimi Regis, & Rodolphi Ducis ſanctæ Mariæ, ſanctiſque Petro, Ioanni, Mauricio, ac ſociis eius* donaſſe. Sed dum hæc ſcribo, nouæ ingruunt tenebræ. Ait Hepidanus ad a. Ɔcccccxxii. *Rudolphus Rex filiam Burchardi Ducis accepit.* Si hoc, compoſitionis cauſſa a *Guillimanno* allegata, quam is ex *Vignerii* Chronico Burgundiæ hauſit, quamue cum a. Ɔcccccxx. copulauit, corruet. Quod ne fiat, prouidendum eſt. Itaque deſponſatam hoc anno, acceptam poſt biennium adfirmo; donec aliquis euidentioribus ſignis contrarium oſtendat. Sin hoc diſpliceat, addo, temporum rationes, quas ſectatur Hepidanus, non eſſe ſemper certiſſimas. Hæc Bertha Luitprando teſte Lib. IV. cap. VI. Hugoni Italiæ Regi poſt mortem Rudolphi mariti nupſit; cuius libellum dotalem *Mabillonius Itin. Ital.* Part. I. p. 222. in Archiuo monaſterii Ticinenſis Ordinis Benedictini iuſſu Hugonis a. Ɔcccccxxxvi. confectum, ſe ſuis vidiſſe oculis adfirmat.

(p) In omnibus fere veterum Commentariis exſtat, Bur-

Burchardum subito perterrefactum victima exspectare nec voluisse, nec sustinuisse. Witechindus rotunde: *Eo ordine Rex factus Henricus perrexit cum omni comitatu suo ad pugnandum contra Burchardum Allemanniæ Ducem. Hic cum esset bellator intolerabilis, sentiebat tamen, quia valde prudens erat, congressionem Regis sustinere non posse, tradidit semetipsum ei, cum vniuersis vrbibus, & populo suo.* Solus Hepidanus Sangallensis Monachus in vita S. Wiboradæ cap. XXVIII. rem alia ratione refert, vt existimare possis, non abiecisse ſt,tim spem omnem, atque animum virtutis gloria præclustrem Allemannum, quemadmodum ceteri litteris mandarunt. *Hisdem*, inquit, *diebus Burkhardo Duce Allemannorum bella gerente, populis etiam inter se dissidentibus propter Saxonicum Henricum Regem factum; cum militaris populatio grauem penuriam terris inferret, parentes B. Rachildæ metuentes, eam ibi fame cruciari, voluerunt eam repatriare.* Quamobrem a veritate nequaquam me abluisse, puto, cum post instructas vtrinque acies pacificatoriam legationem interueniſſe demum scripsi. Metuebat enim Burchhardus, ne superiorum dimicationum fructus vna, itemque decretoria pugna, in fumum abirent, isque, qui summam, ac regiæ æqualem auctoritatem adfectasset, vicaria etiam potestate amissa ad familiaris rei angustias, tenuissimamque sortem redigeretur. Patet de cetero ex hoc loco, sacerdotes, ac optimatium haud paucos omnium turbarum, ac detrimentorum, quæ sentiebant, in Ducem suum reiecisse.

(q) Verba Witechindi sunt: *Et rebus prospere gestis transiit inde in Boioariam, cui præsidebat*

Arnulfus Dux. Quo comperto in præſidio vrbis, quæ dicitur Regineſburg, obſedit eum. Videns autem Arnulfus, quia reſiſtere Regi non ſufficeret, apertis portis egreſſus eſt ad regem, tradidit ſemetipſum cum omni regno ſuo. Qui honorifice ab eo ſuſceptus amicus regis appellatus eſt.

(r) Audiamus etiam Luitprandum Lib. II. cap. VII. *Arnoldus cum vxore & filiis ab Hungaria rediens honorifice a Baioariis, atque ab orientalibus ſuſcipitur, ſed vt Rex fiat, ab eis vehementer expoſcitur. Rex Henricus, quum obtemperare ſuis omnes iuſſionibus, Arnoldumque ſolum reſiſtere cerneret, perualido collecto exercitu, in Boioariam tendit, quod Arnoldus vt audiuit, eius non paſſus eſt in Boioaria præſtolari aduentum. Verum collectis, quibus valuit, copiis, huic obuiam properat. Cupierat ſane & ipſe Rex fieri. Cumque in eo eſſent, vt bellum pariter inire deberent, ſicut vir ſapiens, & Deum timens Rex Henricus cogitans, ex vtraque parte irrecuperabile poſſe damnum accidere, Arnoldo quatenus ſolus cum ſolo loquatur, denunciat* &c.

(ſ) Ditmarus humilem, Sigebertus Gemblacenſis pacificum appellant: non, quod reformidaret belli pericula, cum neceſſitas inſtaret; ſed quod longe in poſterum proſpiciens numquam ad vim atque arma ruendum cenſeret, quamdiu pacis conditiones idem commodum, eoſdemque gloriæ fructus promitterent.

(t) Appoſite Luitprandus Lib. II. Hiſt. cap. VII. *Aequum iuſtumque nobis videtur, vt quod prædeceſſores non habuere tui, tibi concedatur, ſcilicet, quatenus totius Boioariæ Pontifices tuæ ſubiaceant ditioni, tuæque ſit poteſtatis, vno defuncto alterum ordinare.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [102] - 90
PUBLIC DOMAIN

dinare. Ditmarus aliquid ſane adiicit, quod ſcrupulo, qui nonnullos in hac cauſſa valde fatigauit, reprimendo, atque tollendo par eſt, Quis enim ſibi non perſuaſit, poteſtatem Arnulpho indultam ad poſtfuturos etiam Bauariæ Duces protenſam fuiſſe? vt quam illi denique amiſiſſent, cum Romani Pontifices impio prorſus conatu Henricum V. Imperatorem regali circa ſacra iure exſpoliarunt. Verum alia omnia Merſeburgenſis docet, cuius iudicio priuilegium Arnulphi pro perſonali reputandum eſt; quod ſicuti oſſibus accipientis inhæſerat; ita etiam eodem, quo ille, ſepulcro conditum videtur, atque exſtinctum. Apponam nunc, quæ Ditmarus in medium adfert: *Eo tempore, quo ſupra memoratus Rex maxime vigebat, fuit in Bauaria quidam Dux Arnulfus, nomine præcluus, in mente pariter & corpore, qui omnes epiſcopatus in his partibus conſtitutos ſua diſtribuere manu ſingularem habuit poteſtatem; ſed cum hic poſt varios virtutum ſuarum ornatus vitam hanc finiuiſſet ſucceſſorum ſuorum nulli tantum reliquit honorem: quin potius Reges noſtri & Imperatores ſummi Rectoris vice in hac peregrinatione præpoſiti hoc ſoli ordinant, meritoque præ ceteris paſtoribus ſuis præſunt, quia incongruum nimis eſt, vt hi quos Chriſtus ſui memores huius terræ principes conſtituit, ſub aliquo ſint dominio, abſque eorum, qui, exemplo Domini, benedictionis & coronæ gloria mortales cunctos præcellunt.*

§. XIV.

Duorum ſic bellorum victor Henricus, aut potius pacificator, in Saxoniam haud dubie, veluti triumphans rediiſſet; niſi nouus e Gallia turbo, ac noua ſimul

belli moles eodem anno (ɔɔccccxx) incubuiſſet. Ea vero ratione nec diu licuit quietis conſilia agitare, nec erigendæ ex tam graui lapſu reipublicæ operam dare. Hinc enim Carolus Simplex vetus hoſtis ad exſtinguendum in Eliſatia Germanicum nomen arma ceperat, occupataque Wormatia (u) Rheno finire Henrici imperium laborabat. Hinc Hungari terrorem, hinc Slavi perfidiam, hinc alii animum ad res nouas inflammatum circumferebant. Ergo obiiciendus inprimis Gallorum molitionibus obex erat; vt qui Lotharingiam, quæ Teutonici regni pars fuit, nullo iuris obtentu ad ſe traxerant; ſimulatque conſpirationes principum præſidiis ſuis fulſerant, tandem aliquando durioribus legibus coercerentur. Haud enim ſcio, quæ Vagedeſium, alioſque (x) impulerit ratio, vt Germanorum in Belgicam iura deprimerent, & nouum demum ab Henrici cum Carolo pactionibus titulum arceſſerent. Et æquis namque iniquiſque perſuaſum credimus, Lotharii regnum ab Arnulphi Imperatoris æuo uſque ad Conradini imperii initia Germaniæ rationibus quodam quaſi vinculo fuiſſe innexum; ita vt nec proceres, maiora anhelantes, cauſſæ ſatis habuerint, mordendi fræna; nec Gallus rationis, ac conſilii affatim, audiendi homines monſtri nonnihil alentes, ac ſine cauſſa tumultuantes. Nam quæ Blondellus affert, ad obruſſam exigemus. Talia vero cum fecerit Carolus, ac nouo iam impetu cis Rhenum prouincias adortus bellum iniuſtiſſimum ſtruxerit; non erit nunc quidem Saxonico Regi (y) vitio vertendum, ſi quos cœca olim in tranſuerſum ambitio rapuit, ſui officii admonuit, monitiſque certo pacto auſcultantes licitis ad obſequium mediis reducere contendit.

(u) In

(u) In ſupplemento Reginonis ad a. Ɔccccxxiii. hæc leguntur: *Carolus Alſatiam & partes illas Franciæ iuxta Rhenum vſque Moguntiam ſibi vſurpaturus, vſque Patennichheim villam, iuxta Wormatiam hoſtiliter pervenit.* Recte ſingula ſe habent, ſi annum ſecundum Frodoardi, ac Hermanni Contracti iuſtiores calculos in Ɔccccxx. mutes. Obtemperauit quippe Alſatia Franciæ orientalis Regi, etiam cum Lotharingiæ magna portio Francorum occidentalium rectorem veneraretur. Nunc Arnulpho Boio, ac Burchardo Allemanno defectionem parantibus tempus haud incommodum videbatur diſcerpendi has terras; ſique adſpiraret fortuna, coniungendi cum Gallia, vel ceteris Belgii Lotharingiæque ciuitatibus.

(x) Confidenter hic auctor, qui apud Rintelenſes aliquando Hiſtoriarum ac Eloquentiæ Profeſſorem egit, † pronunciat, nihil Henrico Aucupi, nihil Germaniæ inter hanc ætatem in Lotharii regnum *Academiiuris* competiiſſe. Sed præter fiduciam nihil adfert homo confuſæ induſtriæ, ac perturbati iudicii; qui in hoc maxime negotio ſumma imis, ac quadrata miſcuit rotundis. Igitur cum *Blondello* potius certabimus, qui Gallonum cauſſæ inſeruiens multa de induſtria negauit, vel prætermiſit, vel diſſimulauit, quæ a viris in his rebus verſatiſſimis in lucem veritatis bono producta ſunt. Res eo redit, vtrum, Carolingica ſtirpe in Ludouico Puero exareſcente, Lotharingi pleniſſimam libertatem nacti eligere potuerint Regem, qui ſibi allubeſceret, an obſtricti fuerint iidem, vt Germanici imperii corpus, cum quo ſemel in vnam ciuitatem coaluerunt, eiusque caput, quod ceteri populi ſuffragiorum ordine ac numero obſeruato,

corum quæ Paſtorius edidit p. 200. *ſeq.*

† *Operum*

† *Præfat. Apologet.* *** 2.

imperii gubernaculis præfecerunt, & ipſi etiam tamquam pars ſequerentur, eaque ratione in priſtina reipublicæ communione cum Allemannis, Francis, Boiis, atque Saxonibus manerent? vel denique, quod ad caput rei pertinet, an reapſe aliquamdiu cum illis copulati ex poſt facto demum ab inita ſocietate contra fidem datam reſiliuerint? Prius, cum *Blondellus* circumſpecte penſitare, nec dimittere ſine cura debuiſſet, veluti prætereundo inſpexit, quaſi illa, quam animo concepit, libertas nihil dubii haberet, atque ambiguitatis. At non deſunt, puto, grauiſſima argumenta, quibus contraria ſententia fulciatur. Damus enim, fuiſſe Carolingicam prolem exſtinctam; concedimus etiam, nullum in Teutonia Principem exſtitiſſe, qui ad hos ortus legitimos natales referret; non repugnamus denique, Lotharingos peculiarem olim Regem, quid? quod Imperatorem dominum habuiſſe: hoc quæritur, an Franciæ orientalis corpus exaruerit, ad quod pertinebant, in cuius fines ſolenni ac noua pactione fuere deſcripti? quam ipſi approbarunt quoque, & a qua ſine perfidiæ macula ceteris inuitis deficere, atque recedere nequiuerunt. Nam etſi, Carolo Craſſo corpore atque mente deficiente, maxima illa Francorum ciuitas partim vi bellica, partim conſenſu mutuo in plura imperia, ſicut corpus Perſici regni in plures Alexandri ſucceſſores diuiſa eſt, atque ſciſſa: non deſiit tamen, vt conſtat, omnis conſociatio. Boii, Allemanni, Franci, Saxones, Lotharienſes fœdere inter ſe copulati Arnulphum Carolomanni nothum in ſolium euexerunt, non, quod egregiæ illius ſtirpis, quam Carolus proſeuit, legitimum ſurculum reputarent, cui naturaliter

ſuc-

ſucceſſio deferretur; ſed quod in omnibus elegantem & fortem, ac hoſtibus cum maxime, qui in viſcera totius Franciæ penetrauerunt, depellendis longe aptiſſimum deprehenderent. Hæc electionis vera cauſſa fuit, non ſucceſſionis, a qua natalium labes maiorum inſtituto eum penitus excludebat. Quocirca ſupra iam monui, electionis initia heic potius figenda eſſe, quam in Conradini Imperii periodo, atque momento; cum iam nouus per ſuffragia ſuccedendi modus tot nationum ac gentium conſenſu eſſet ſtabilitus. Congrue Regino, ſcriptor illi ætati ſuppar: *Poſt cuius* (Caroli Craſſi) *mortem regna, quæ eius ditioni paruerunt veluti legitimo deſtituta herede, in partes a ſua compage reſoluuntur, & iam non* NATVRALEM *dominum præſtolantur, ſed vnumquodque de ſuis viſceribus regem ſibi creari diſponit.* Et paullo ante: *Cernentes optimates regni, non modo vires corporis, verum etiam animi ſenſus ab eo diffugere, Arnolphum filium Carolomanni* VLTRO *in regnum attrahunt.* In his vero optimatibus Lotharingos quoque fuiſſe, nemo eſt qui neget; nemo qui neſciat. Hoc rogo, vt paullo curioſius, qui diſſentiunt, circumſpiciant, quid contigerit, aut factum ſit, cum Lotharingia Zwenteholdo, filio Arnulphi naturali ſub regni forma traderetur. Deprehendent enim primo ſtatim obtutu, hanc rem ad diſceptationem totius regni pertinuiſſe, cum nobilis adeo pars, quemadmodum Belgica, de corpore Germanici Imperii quadantenus ſepararetur. Dico quadantenus. Neque enim abſolute Zwendeboldo regalis dignitas eſt conceſſa, ſed ea conditione, atque lege, vt in Germaniæ fide, clientelaque foret. Clare Annales

nales Metenſes ad a. IↃCCCXCV. *Zwentibolch filium regno Lotharii* PRÆFECIT. Et præfecit autem Arnulphus in publicis regni comitiis, optimatium quorumcumque conſiliis, atque adſenſu ſtipatus, quem res adeo magna atque ardua merito exigebat. Paullo ſignificantius Regino: *Poſt hæc Arnulphus Wormatiam venit, ibique opimatibus ex omnibus regnis ſuæ ditioni ſubditis ſibi occurrentibus conuentum publicum celebrauit. In quo conuentu, omnibus aſſentientibus, atque collaudantibus Zundibolch filium regno Lotharii præfecit.* Hoc vero rempublicam male adminiſtrante, Lotharingi impotentis dominationis pertæſi ad Ludouicum IV. Germaniæ Regem, veluti ſupremum dominum confugerunt; eaque ratione poſt Zwenteboldum e medio ſublatum, pleniſſimo, vt antea, iure in Teutonicam ciuitatem merito ſunt recepti. Iam igitur ex omnibus, qui ſani ſunt, & accurati, quæro, vtrum in electitiis regnis, quale ab Arnulphi tempore Germanicum fuit, morte regnantis principis deſinat illa vitæ ciuilis conſociatio, illud vinculum, per quod reſpublica cohæret; ille ſpiritus, quem tot hominum millia trahunt? Et puto, neminem adeo fore abſonum, qui omnem ordinem, ac pactiones denique vniuerſas ſolutas exiſtimet, atque ruptas. Nec enim interregnum ἀναρχία eſt, in qua ſine decore, atque ordine vagetur diſcincta multitudo: manet cœtus, manet vnitas, manet pactum primum, durat conſociatio generalis, quæ facit, vt poſt eius, qui ſummæ rei præfuit, obitum alius ab electoribus quæratur, qui denuo ciuitatem diſpenſet, & felicitatem, & quietem, & ſecuritatem ſibi ſubditis procuret. Quamobrem finge, Ludouico Puero mortuo, voluiſſe Lotha-

Lotharingiæ primores rationes a reliquo Germaniæ corpore diuersas sectari, secedere, id quod communiter administratum est, pro ratis portionibus diuidere; an iure, quæso, id refragantibus ceteris fieri potuisse dixeris? Et non credam: cœtu ciuitatis, senatu, ac consilio publico etiamnum exsistentibus. Verum enim vero neque id voluerunt initio, multo minus fecerunt, Belgicæ nobilissimi Proceres. Receperunt Conradum I. coluerunt eum vnius minimum anni spatio, dum viueret venerabilis Otto Dux Thuringorum atque Saxonum. At postea, fateor, anno duodecimo supra nongentesimum exeunte ad Carolum Simplicem inclinarunt. Quo iure? Nullo sane, vt vides. Et ne dubites, Lotharingici regni viros summos ac potentissimos fidem suam Conrado obstrinxisse, Luitprandum tibi commendo, Reginonis appendicem, Gemblacensem, qui diserte, ac sine circuitione hoc adfirmant, referunt, inculcant. Oculatissimus *Obrechtus* in luculento *Rerum Alsaticarum* Prodromo Vol. I. cap. VII. sapienter propterea existimat, Præsules atque Comites, qui, mutatis animis, ad Caroli partes desciuerant, rebellionis infamia in annalium monumentis conflagrasse. Quid enim flagitiosius est, quam neglecto Numine, ac iurisiurandi religione posthabita, Regem nihil commerentem deserere, ac ab societate, quæ rumpi pro lubitu non potest, improba quadam ratione deficere? Sed scio, quid te discruciet. Carolus, inquis, Simplex hereditario iure Lotharingiam popposcit; vtpote e Caroli M. æterna prosapia oriundus. Immo vero, regero, sic quæstionis status mutatur: ac forte etiam hoc falsum est; forte magis arduæ inspectionis; fortean altioris

indaginis. Quis enim eſt iſte Simplex? quem ipſi primum Franci occidentales grauiſſimis argumentis commoti repudiarunt? quem dubiis natalibus omnes fere auctores in lucem productum fatentur? quem ab regnandi artibus minus inſtructum nemo inſiciatur ac negat? Tu ne igitur hunc, qui maculam natiuitatis perpetuo circumtulit, in omnium bonorum a Carolo M. relictorum hæreditatem, contra Reipublicæ inſtituta, ire cupis? quo decreto? obtentu quo? Tute, quia ſapiens erat, virtutibus præcellens, moribus præſtans, religione maximus? Verum ſubſiſte. *Ditmarus* ſtultum vocat, alii ineptum, Haganonis Comitis præceptis, conſiliis, ſuaſionibus nullo iudicio obtemperantem. Fac tamen, fuiſſe optimum, quid fiet de iure hereditario? An hereditatem adipiſcuntur probitatis ac virtutum dotibus exculti? Eliguntur interdum, non diſſentio, At tu Carolum non electum, ſed iure a maioribus accepto, dicis, ſucceſſiſſe. Itaque Lotharingi nequaquam ſuis eum ſuffragiis Regem deſignarunt, ſed Arnulphum, ſed Zwentheboldum, ſed Ludouicum, ſed Conradum. Ad hæc vero, & deinde quid? Fefellerunt fidem; obliuioni tradiderunt, quod ſublatis dexteris promiſerunt: ad Carolum declinauit Raginerius, vt ſub rege fatuo obtineret proximam regiæ poteſtatem. Idem fecerunt Præſules, vt, quæ ad fiſcum pertinebant, prædia in eccleſiarum ſuarum compendia conuerterent: vt taceam, Giſelbertum iuuenem haud diſſimili ſpe, atque fiducia rationes ſuas ſubduxiſſe. Quæ omnia eo fine tam prolixe diſputamus, vt eluceat, tum Conringium, cum etiam Obrechtum nimis molliter cum ſcriptoribus Gallis egiſſe. Nam cum illis conceditur, Carolinæ ſtirpis interitum in Lu-

Ludouico Puero esse collocandum; sequitur vtique, vt regnatrice linea exstincta Lotharingis ad alium quemcumque transilire integrum fuerit. At posteaquam luculenter est ostensum, post Caroli Crassi deiectionem nouam reipublicæ speciem emersisse, in qua suffragiis ciuitatis, quam Franci, Saxones, Boii, Allemanni, Lotharienses vna constituebant, Imperium propagaretur; confectum nunc quidem esse puto, nec Bauaros, nec Saxones, nec Lotharingos pactum mutuo consensu firmatum sine grauissimis caussis conuellere vllo modo quiuisse. Nam *qui semel in perfectam ciuitatem*, verba Samuelis Pusendorffii † recito, *coaluere, regique se subiecerunt, cum fortunarum interrestium sedem in ista fixerint, non possunt præsumi ignis tam fuisse socordes, vt cum rege defuncto nouelam ciuitatem exstingui, & in naturalem statum atque anarchiam voluerint abire, non citra stabilitæ iam salutis periculum. Igitur vbi in regem non collatum fuit imperium hereditario iure, vt ipse de successore pro iubitu statueret; saltem tacite inter ipsos conuentum intelligitur, vt statim a morte regis conueniant, idque eo loco, vbi alias conuentus celebrari moris erat, aut vbi rex domicilium fixerat.* Accedit quod in Franciæ Orientalis regno ab Arnulphi temporibus laudabilis consuetudo inualuit, vt Rege ad plures abeunte totius reipublicæ proceres sine mora conuenirent, atque, vt fas erat, in vnum consulerent. Vnde etiam, Luitprando teste, Henricus contra Arnulphum Boium ius maioris partis cum maxime vrsit, quo imperium acceperit; idem concessurus aliis, si suffragiorum debito numero ad Principatum peruenissent. Vnde vnitas reipublicæ novo,

† *Disp. de* *p. 356.* *357.*

eoque firmiſſimo argumento ſtabilitur. Qui hac cautione, aliiſque, quas attulimus, rationibus omiſſis, Gallos adorti ſunt, in pactionibus, Marſana, puta, ac Furonenſi, ſicuti *Schurzfleiſchius* de Auſtraſiæ regno, † (cuius ſententiæ aliquando ipſemet nonnihil tribui) omne robur ponunt; quaſi illæ Germaniæ, ac fines Galliæ ita rexiſſent, vt quoduis regnum non tantum ſeparatas rationes haberet, verum etiam ius ſucceſſionis quodcumque tam paciſcentibus, quam eorum poſteris hoc modo adimeretur. Quod extremum, vti in illo fœdere non inuenitur, ita etiam ex eo non niſi contortis rationibus elicitur.

† *p. 54. ſſ. ſeq. §. XIII. XIV. XV. ſeq.*

(y) Credibile eſt, Henricum per emiſſarios effeciſſe, vt Lotharienſes, & Giſelbertus inprimis res novas moliri pergerent. Si *Frodoardi* veſtigiis inſiſtimus, cognoſcimus, Carolum primo a Galliæ proceribus ob Haganonis Comitis eminentem auctoritatem fuiſſe deſertum; idque circa initium anni Ɔcccccxx contigiſſe videtur. His autem, poſt ſeptem menſium interuallum, Heriuæi Rhemenſis Antiſtitis auctoritate in viam reductis, in Alſatiam demum, vt ex *Reginonis ſupplemento* oſtendimus, irrupit, Giſelberto ad Henricum inclinante, ac Belgicæ viris ſummis nonnihil ſe mouentibus. Sed nondum tamen eo temporis articulo Lotharingia in poteſtatem Henrici redacta eſt. Ipſe Frodoardus *Giſelbertum cum aliis Lotharienſibus ad Carolum reuerſos* memorat. Anno vero abhinc inducias cum Henrico pepigit, de quibus poſtea.

§. XVII.

Et captanda vtique erat temporum, ac hominum inclinatio, quam non tantum Giſelbertus Dux, verum etiam

etiam rixæ post mortem Stephani Tungrensis Episcopi excitatæ minimis momentis procreauerant. Nam eligentibus in duas partes scissis, altera Hilduinum eius ecclesiæ, vt vocant, Clericum; altera Richarium Prumiensem collatis suffragiis designauit. Huic Carolus, illi Giselbertus Dux Lotharingiæ superbissimus fauebat. Putasses, Hilduinum regiæ auctoritatis memorem Richario a Carolo confirmato istud dignitatis lubenti animo reliquisse. Sed hic Giselberti præsidiis atque opibus confisus ad Herimannum Colonienſis ecclesiæ Præsulem abiit, qui metu ab Lothariorum Duce ostentato, Hilduinum solenni cærimonia consecrauit, insolenti ad posteritatem exemplo, *absque Regis*, vt loquitur Folcuinus Lobiensis Chronographus (z), *& procerum sanctione*. Etsi enim Henricus Hilduini ad se fugientis electionem sua auctoritate roborauit; factum hoc tamen, dicebant, partim ab Rege, ad cuius ius Episcopatus nondum pertinebat, partim ab illo, qui multo auri pondere ex Tungrensi ecclesia ablato corruptus, simulque Giselberti blanditiis captus, neque verum videbat, neque rectum. Quæ vniuersa in litteris ad Episcopos (a) suos datis ipse Rex Carolus magna libertate commemorat. Sed hinc tamen manifestum euadit, has dissensiones Henricum in spem erexisse occupandi aliquando haud magno labore tam nobilem prouinciam. Neque enim dum cœptis plene fortuna adspirabat. Nam cum Giselbertus Simplici; hic autem Proceribus suis, (b) Heriuæo suadente, conciliaretur, nihil prius nunc quidem habuere omnes, nihil antiquius, quam vt hostem tam acrem, tamque auctoritatis suæ tenacem & potentem a finibus suis amolirentur. Quod, quo congrue fieret,

induciis ſine mora (c) dies eſt dictus, quas eodem adhuc anno, compoſitionis auctoribus Epiſcopis atque Comitibus ab vtraque parte intervenientibus, ſolenniter firmatas Frodoardus tradere videtur. In his vero, cum de reducenda inter belligerantes Reges amicitia diſſereretur, exiſtimarunt multi Reginonis continuati, ac Sigeberti Gemblacenſis teſtimoniis freti, (d) totam hoc pacto Lotharingiam in Aucupem fuiſſe tranſlatam: quod Galli contra, ac Sirmondus inprimis, & Blondellus negant, manibus pedibuſque obnixe omnia facientes, ne ſponte Carolus Lotharingiam abieciſſe dicatur. In quo iis vtique adſtipulamur; quamuis diuerſas ita ſentiendi cauſſas habeamus (e).

(z) Etſi nonnulla apud *Frodoardum* in Chronico hac de re exſtant; non eſt tamen quiſquam, quod ſcio, qui vberius omnia, quam Folcuinus Abbas deſcripſerit. Sed eſt ille eo curioſius a Folcuino Leuita diſtinguendus, quo plura ſunt, quæ vtrique conueniunt. Vterque ex regno Lotharii ortus; vterque Sithienſis Monachus; vterque in Hiſtoriarum auctoribus numerandus; vterque eadem ætate florentiſſimus. Quem nos citamus a. DCCCCLXI. Lobienſe monaſterium rexit, ac paullo poſt de Geſtis Abbatum Lobienſium ſcripſit, cuius verba, quoniam propoſito congruunt noſtro ex capite XIX. huc tranſſcribimus: *Iſto quoque mortuo, & in Eccleſia S. Lamberti ſepulto turbatur rurſus eccleſiæ de Antiſtite ſubſtituendo. Nam pars vna Hilduinum eiuſdem eccleſiæ clericum ſibi poſcebat Epiſcopum, fauente ſibi ad hoc Gilleberto (*) Clotharienſium Duce, qui floccipendens regiam maieſtatem regni ſibi vſurpauerat ſummam: alii Richari-*

charium Prumiæ Abbatem dono & consensu Caroli Regis expetitum. Qui videlicet Carolus facto, vt dictum est, interregno, Regum quorumdam interregnantium a Fulcone Archiepiscopo Remis euocatus & consecratus, paternoque regno est restitutus, quam ordinationem nouellam suis quique in partibus dedignantes, partim (vt est ingenium hominum) spe adquirendi gratiam noui Regis sibi conciliabant, partim obfirmato supercilio per se suis principabantur; ex quibus Gillebertus vnus erat, qui tunc Clotharienſem Ducatum agebat, quo iubente, immo extorquente potius & vrgente consecratur Hilduinus Episcopus ab Herimanno Agrippinæ sedis Archi præsule nouo & inusitato genere absque Regis & procerum regni sanctione. Publicauit hæc gesta Lucas Dacherius Spicilegii Tom. VI. p. 550. seq.

(*) Vocant antiqui Annales hunc Lotharingiæ Ducem Giselbertum, Gillebertum, Gillabertum, vt Dacherius ad Folcuinum notat. Rectius Gisalbretus. si vocis originem spectes, dicitur. Nam Giselbreth, comitum copiosum significat. Germanorum Dynastæ, quos Tacitus Principes appellauit, suos habebant comites; qui Germanorum lingua Gisal gisel / gesellen audiebant: breit vero amplum seu copiosum notat.. Est hæc non mea, sed Hugonis Grotii obseruatio, quam vide sis in *Indice Propriorum nominum Gothicorum, Vandalicorum, Langobardicorum.*

(a) Recitantur litteræ in Tomo Concil. IX. c. 572. In his variis Rex ostendit argumentis, Hilduinum sacro hoc munere prorsus esse indignum; quod Principi suo refragatus violentia atque insidiis sese in ovile invexerit; ac thesauris Ecclesiam spoliando aliis eos, vt furantem iuuarent, impertiuerit; nec, citatus quamuis, ad rationes reddendas coram Hermanno Colonienſi Præsule comparuerit. Eam ob rem rogat

rogat vniuersos atque singulos Franciæ occidentalis ac Lotharingiæ Episcopos, vt secum concordantes Hilduinum propria auctoritate aliorumque iniusto auxilio sacerdotium arripientem ea, qua par est, constantia respuerent.

(b) Pertinent eo Frodoardi verba: *Karolus vero reuersis ad se Lothariensibus, & ipso Giselberto, Richario Abbati non Hilduino Episcopo consentiebat.*

(c) Idem Frodoardus satis clare ad a. CMXXI. *Karolus Rex in regnum Lotharii abiit, receptisque per vim quibusdam Ricuini infidelis sui præsidiis, & facta pactione vsque ad Missam S. Martini cum Heinrico Principe Transrhenensi reuersus est in montem Lauduni.*

(d) Sigebertus ad a. CMXXIII. *Reges Henricus & Carolus apud Bunnam confœderantur. Caroluſque reddit Henrico Regi regnum Lotharingiæ Episcopis & Comitibus vtrimque iure iurando rem confirmantibus.* Regino ad a. CMXXIV. *Carolus & Heinricus Reges apud Bonnam castellum conueniunt, & pacem inter se facientes fœdus ineunt: & Carolus numquam sibi amplius Lotharienſe regnum vsurpaturum promittens, regreditur.* Puto inducias, atque iteratum amicitiæ fœdus, quod Bonnense vocant, vtique oportere distingui. De illis belli feriis, præter Frodardum, nemo veterum clare quidquam litteris mandauit. Fœdus vero Bonnense & Reginonis Appendix, & Sigebertus Gemblacensis recensent; quid? quod tabulæ exstant, quas *Iacobus Sirmondus* † primus vulgauit: & post eum †† *Quercetanus*, atque *Miræus* ††† in lucem ediderunt. Et hæ vero cum inspiciuntur, aut manifesti erroris *Reginonis Supplementum*, itemque *Gemblacensem* conuincunt; aut ansam suppeditant expo-

† *Tom. II. Capitul. edit. Baluz. p. 299.*

†† *Histor. Francorum Tom. II.*

††† *Notit. Eccles. Belgic. 51.*

exponendi paullo luculentius illorum auctorum verba. Quod si recte puto, Carolus superiorem Lotharingiam reddidit, quæ agrum Wormatiensem, quæ Alsatiam aliosque Rheni superioris pagos est complexa; quamque is hostili impetu inuasit, cum Henrico Burchardus atque Arnulphus haud parum negotii facesserent. Ceteræ ciuitates, Giselberto ad officium redeunte, sub clientela Caroli manserunt. Quamobrem maxime cœcutiuerunt, qui totum superioris atque inferioris Lotharingiæ regnum, hoc anno ad obsequium Henrici Aucupis traductum scripserunt. Quibus vt recte se obiecit *Blondellus* Assert. General. Franc. p. 263. ita merito erroris arguit *Sigebertum*, atque Appendicis, quæ *Reginoni* iuncta est, auctorem; quippe quorum sententia peruersa vt plurimum ratione exponitur. Repugnant enim diplomata, quæ Caroli Regis auctoritatem, nomen, sigilla præ se ferunt: refragantur, vt diximus, tabulæ, in quibus concordiæ reductæ; non autem cessionis, aut cuiusdam remissionis mentio occurrit. Igitur vix intelligo, quo *Mabillonius* Annal. Bened. Tom. III. p. 368. digitum intendat, cum Lotharingiam Henrico cessam in fide Simplicis substitisse adseuerat. Quod si enim cessit, qua ratione, quæso, retinere eam sub clientela, tueri, ac regere potuisset? Ceterum, ne dubium remaneat, hortari res videtur, vt, quid inferior Lotharingici regni pars comprehenderit, paullo amplius definiatur. Eo fine videndum est inprimis, quænam διοικήσεις Caroli summum imperium admiserint, quæ non. Et membranarum fide constat, Metensem, Tulensem, Virdunensem, Treuirensem, Colonienſem Tungrensem, Cameracensem, ac

Vltraiectinam tandem ſub huius Principis patrocinio ſtetiſſe. Ex quo *Antonius Pagius* in Crit. H. C. Tom. III. p. 839. n. 11. haud vane coniecturat, omnes circa Moſam, Scaldis partem, Sabin, Moſellam, & cis Rhenum prouincias Giſelberti Lotharingiæ Ducis auctoritatem quadantenus agnouiſſe: reliquas vero ad ſuperiorem regni Lotharii partem, veteri nomine a quibuſdam retento, eſſe relatas.

(e) Blondellus, ac cum eo Sirmondus dedecori ſibi, Galliſque putant fore, ſi pactione expreſſa Carolus abdicaſſe Lotharingiam dicatur. Mihi vero alia longe ratio ſedet; vt qui neque temporum rationes confundi, neque rerum geſtarum ſeriem perturbari merito cupio. Alias cauſſas non habeo.

§. XVIII.

Quid igitur? An ſic Lotharingiam Carolus numquam dimiſit, numquam Henrico reddidit, numquam Germaniæ Regi reſtituit? Num hic expulit innocentem? an dolo cepit prouinciam? an iniuſto metu extorſit? Et neque hoc, neque iſtud crediderim (f). Optarem potius, vt, qui hac de re ſtabili aliquid iudicio decernere cupiunt, inducias cum Simplice initas ſollicite penſicularent. Has ſancte Henricus coluit ac obſeruauit, vsque dum Franci occidentales, deſtituto Carolo, Robertum in prælio occiſum, ac Rudolphum Burgundum Reges deſignaſſent. Tum vero ille iuſtiſſima ratione Lotharingiæ proceres partim minis, partim etiam blanditiis, partim vi in ſuas paullatim partes pertractos Germaniæ adiecit, ſolo Giſelberto Duce excepto, qui peculia-

peculiaris reipublicæ ſtructuram mente depingens cum Teutonici imperii corpore conſociari propterea noluit; ne formidabilis Henrici potentia ſuo eum pondere deprimeret. At, cum hic Chriſtiani cuiusdam conſilio atque dolo in poteſtatem Saxonum peruenisſet, actum erat de ceteris Lotharingiæ Præſulibus, qui hucuſque refragabantur; actum de Giſelberto, qui demum Gerbergam filiam Henrici longe lectiſſimam in matrimonium duxit; actum de aliis, qui Ducis ſui partibus obſtinate adhæreſcebant. Quibus bene obſeruatis haud difficile erit explicatu, quare in diplomatibus (g) circa annos Henriciani regni in Lotharingia obtenti aliquid varietatis occurrat, ac idem ſæpe cœnobium Caroli ac Henrici tabulas oſtendat (h). Neque enim omnes Belgicæ Præſules, atque Optimates generatim, atque vniuerſe ad obſequium redierunt; ſed ſigillatim, ac per ſpiramenta temporum, quod ex veterum monumentis probabili admodum coniectura deducitur.

(f) Vt ita ſtatuam permulta ſuadent, ac quaſi præcipiunt. Vbi enim inuenitur ſollennis totius Lotharingiæ ceſſio? Verba Bonnenſis pacti de induciis, atque amicitiæ quodam fœdere, vt vidimus, loquuntur. Quid? quod Frodoardo teſte ad a. Ↄↄↄↄ XXII. *Karolus regnum Lotharienſe ob perſecutionem Giſelberti, & Ottonis, rapinis, ſacrilegiis, atque incendiis, etiam in tempore Quadrageſimæ, ſicut & tota hieme vaſtauit.* Rediit namque ad ingenium Dux ferociſſimus, ac arma cum Roberto ſeniore, quem Carolo obiecerunt Galli, ſocians infeſtis agminibus dominum laceſſebat. Ad quod probandum locus Frodoardi facit: *Robertus*

tus filium ſuum Hugonem in regnum Lotharii mittit, cum aliquo Francorum agmine propter Capræmontem Giſelberti caſtrum obſidione liberandum, quod Karolus premebat obſeſſum. Quo comperto Karolus obſidionem relinquit, & Hugo acceptis obſidibus a quibuſdam Lotharienſibus ad patrem remeauit. Vnde denuo conficitur, nihil etiamnum Henrico auctoritatis in iſtud regnum competiiſſe. Diſcimus potius ex eodem *Frodoardo*, Robertum in pago Ripuariorum ad Ruram fluuium cum Henrico in colloquium deſcendentem anno ſupra nongenteſimum tertio datis vtrimque muneribus nouam neceſſitudinem contraxiſſe. De ceſſionis ac remiſſionis pacto ne verbulum offendimus. Erat enim id ætatis tota prouincia ſecum ipſa diſcors; inteſtinoque diſſidio diuulſa ad Carolum partim, partim ad Robertum inclinabat. Hinc Frodoardus ſignificanter: *Karolus*, ait, *cum ſuis Lotharienſibus inducias, quas nuper a Rotberto acceperant, infringentibus Moſam tranſiuit*; vt eos, qui aduerſariæ factionis, hoc eſt, Robertinæ eſſent, ſollicite a Carolinis diſtingueret. Roberto iuxta Axonam lanceis perfoſſo, tantum abeſt, vt Henrico Lotharingiæ imperium ſit traditum; etiam ad Rodolphum nonnulli, quem in regni ſolium a Francis euectum cognouerant, tranſierunt, eiusque auxilium, exercitus, atque præſidia petiuerunt. Ad rem Frodoardus: *Lotharienſes illi obuiam iuxta Moſomam veniunt, & vxor ipſius nomine Emma, Regis Roberti filia Remis interim ab Seulfo Archipræſule conſecratur Regina. Rudolfus a plurimis Lotharienſibus ſuſceptus in regno, petitur a Wigerico Metenſium Epiſcopo receptum ire quoddam caſtrum in pagum Elſa-*

Elsatium nomine Zabrenam. Vbi toto pæne demoratus auctumno Castellanis quia Transrhenenses erant auxilium ab Henrico frustra exspectantibus, tandem, obsidibus ab eis acceptis, Laudunum ad vxorem suam reuertitur. Quæ postrema verba eo lubentius in medium produco, vt cognoscatur, Germaniæ Regem, veluti e longinquo has turbas prospicientem, tranquillo interea animo egisse, donec Giselbertus Comes, & Rotgarius Treuirorum Præsul submissis eum vocibus accerserent. Congrue iterum Frodoardus ad a. Ɔcccccxxiii. *Dum hæc geruntur, Heinricus inuitantibus se Gisleberto Comite, & Rotgario Treuirorum Præsule, qui nec dum se Rodulfo subdiderant, Rhenum transmisisse, regnumque Lotharii deprædari nunciatur* &c. Sed caue, putes, hunc Giselbertum Lotharingiæ Ducem fuisse. Erat is Burgundus, Manassis filius, qui propter Aualonis castrum, quod Emma Regina eidem abstulerat, arma contra Rodulphum Regem induit. Hoc etsi *Aubertus Miræus* in alia causa obseruauit; putamus tamen, nos operæ pretium facturos, si ab consimili errore legentium animos abducamus, ne rerum gestarum series, turbatis temporum calculis, distrahatur. Neque enim ante annum quintum & vicesimum post nongentesimum Giselbertus Lotharingus Aucupis potestati se submiserat. Quod, nisi fallor, *Frodoardi* testimonium extra dubitationis aleam collocat. A. Ɔcccccxxv. *Henricus Rhenum transiens oppidum quoddam nomine Tulpiacum, quod Gisleberti fideles tutabantur, vi cepit: nec diu demoratus infra regnum Lotharii ad sua trans Rhenum regreditur, obsidibus a Gisleberto*

berto acceptis. - - Rodolphus autem Rex cum Hugone & Burgundionibus in pago Beluacensi sedebat. - - Henrico cuncti se Lotharienses committunt, & ipse Bernuino, Dadonis Episcopi nepoti Episcopium Virdunense concedit. Qui & expulso Hugone Presbytero, cui Rodulphus illud dederat, ibidem ordinatur Episcopus. Et ad a. Ɔɔcccxxvi. *Ebrardus Transrhenensis in regnum Lotharii mittitur ab Henrico iustitiam faciendi caussa, & Lotharienses inter se pace consociat.* Cui Reginonis ad hunc annum Appendix consentit, *Heinrici Regis potestati coadunatum & stabilitum Lothariense regnum* tribuens. Cetera a Frodoardo omissa ex *Witechindo,* ac *Sigeberto Gemblacensi* merito sunt supplenda, qui hic aliquid interspergunt, quod tenebras quascumque disiicit, atque dispellit. *Henricus autem Rex,* verba sunt Witechindi, *audiens casum Caroli dolebat, humanæque mutabilitatis communem admiratus est fortunam, quia non minore claruit religiositate, quam armorum virtute. Iudicauitque abstinere ab armis, verum potius arte superaturum sperauit Lotharios, quia gens varia erat, & artibus adsueta, bellis promta, mobilisque ad rerum nouitates. Eo tempore erat quidam de Lothariis nomine Christianus, qui videns Regi cuncta prospere | procedere, quæsiuit quomodo maiori gratia apud regem honoraretur: & simulata infirmitate vocauit ad se Giselbertum, cui principatus regionis paterna successione cessit, cepitque eum arte, & sub custodia regi Henrico transmisit. Erat autem Giselbertus nobili genere,*

ac fa-

ac familia antiqua natus. Quem Rex satis lætus susceptit, quia per ipsum solum totum Lotharii regnum se habiturum arbitratus est. Deinde videns adolescentem valde industrium, genere ac potestate, diuitiis quoque clarum, liberaliter eum cœpit habere, ac postremo desponsata sibi filia nomine Gerberga, affinitate pariter cum amicitia iunxit eum sibi; sublegato omni ei Lotharii regno. Gemblacensis eadem fere recensет, præterquam, quod post mortem Caroli Simplicis vniuersa contigisse falso prodit: *Post eius mortem nolentibus Lotharingis Henrico Regi subesse, quidam Lotharingius nomine Christianus simulata infirmitate Gislebertum Ducem ad se dolo euocatum cepit, regique misit, vt per eum Lotharingiam sibi subiugaret. At vere inspecta industria & potentiæ Giselberti filiam suam Gerbergam ei desponsit, & eum iterum Lotharingiæ præfecit.* Credo, Sigebertum propterea in mendum incidisse, quod Gerbergam cum Giselberto coniugio anno demum Ɔcccccxxix. copulatam animaduerteret. Sed iam patet ex *Witechindo* Giselbertum per aliquam temporis intercupedinem in aula Henrici Regis hæsisse, donec ei filiam virginali modestia, ac formæ venustate conspicuam desponsaret. Itaque nihil amplius reliquum videtur, quam vt obiectioni cuidam obuiam eamus, quæ nonnullos rapere in transuersum posset; iamque rapuit. Quid enim, inquiunt, de titulo ac iure Henrici fiet, si neque Carolus, neque Robertus, neque Rudolphus solenni cessione ius suum in Lotharingiam missum fecerunt? nonne Galli Saxonem iniusti

possес-

possessoris nomine commaculabunt? nonne Ludouici Transmarini, nonne Lotharii prædationes, oppugnationes, bella iure meritoque fuisse suscepta dimicabunt? Et vereor, vt concludant, rectèque rationes suas subducant. Henricus namque non indigebat his pactis, non remissionibus, ac repudiationibus Gallicorum Regum, qui nulla vmquam iustitiæ specie sibi Lotharingiæ regnum subiecerant. Quidquid is fecit, proprio iure fecit; quod neque temporis vetustas aboleuit, neque iniquus aliorum conatus exstinxit. Inducias, quas Carolo, itemque Roberto concessit stabile illis dominium neque tribuerunt, neque adiicere potuerunt. Pax æterna est: induciæ ad tempus ineuntur. Sed fateor, miratus sæpe sum, quare Henricus armorum requiem Gallis indulserit, qui in Alsatiam magno impetu irruentes, ceteras etiam Lothariani regni partes effrenato subigere ausu laborarunt? *Mabillonius* id mansueto Aucupis animo adscripsit. Cui equidem non repugno, dummodo Hungarorum bella simul ponderentur, quæ eum hoc fere temporis momento implicatum, ac multiplici cura constrictum tenuere. Quod apud Conringium † quoque me iam legisse memini.

† *Tract. de F. I. G.*

(g) Hoc contra Blondellum, ac Obrechtum obseruandum est, quorum primus ex charta Adalberonis Metensium Præsulis, quam adfert, demonstrare voluit, Henricum anno demum Ɔcccxxvi. regnum Lotharingicum esse auspicatum. Alter vero ex tabulis transactionis inter Ruotgerum ArchiEpiscopum Treuirensem, & Giselbertum Lotharingiæ Ducem de Abbatia Traiectensi, alioque permutationis instrumento probare contendit, id

id iam anno post nongentesimum tertio & vicesimo fuisse factum. Vterque recte. Ruotgerus Treuirensis eo, quem *Obrechtus* signauit, anno ad obsequium rediens imperata fecit. Widericus autem Metensis circa finem anni vicesimi quinti, relicto tandem Rodolpho Galliæ Rege, obedire Germaniæ cœpit. Sic nulla discordia: quam neque tollere *Obrechtus*, neque *Conringius*, neque etiam *Blondellus*, aliique viri longe doctissimi potuerunt.

(h) Addam infra bina diplomata Bronienſi cœnobio data: Caroli unum; Henrici alterum.

§. XIX.

Tantæ videlicet molis erat tam impeditum, totque controuersiis implicatum negotium; tot capita, tot proceres, ac Giselbertum imprimis hominem varium, ac mutabilem in omni vita (i) ad officium, vt decebat, reducere, & nihilominus curare etiam cetera, vigilare contra Slauos; impedire ne Hungarorum (k) gens, Christianis infesta, truculenta ac militaris virtutis gloria excellens aliquid detrimenti Allemanniæ inferret, atque Saxoniæ. Horum irruptiones, ac bella, nisi obstaculo interdum fuissent, non dubitamus, quin celerius multo Lotharienses in necessitatem implorandi Regis gratiam atque clementiam fuissent adducti. At, posteaquam contra cecidissent nonnulla, obliquandi parumper sinus erant, pangendæ induciæ, conferenda cum Carolo consilia: quo illam etiam, quæ ad Rheni ac Mosellæ confluentes celebrata est, Synodum (l) refero, cuius canones Iuo Carnotensis, & Burchardus Wormatiensis nobis litteris memoriæque traditos reliquerunt. Nec aliam itidem causſam puto fuisse, quare vtplurimum in Saxonia sese

continuerit, nec ad Francorum Regum morem (m) ambulatoriam Imperii sedem habuerit. Peruagabantur enim haud raro Hungarorum infesta agmina totam Saxoniam: (n) ad quorum impetus retardandos Regis præsentia (o) opus erat, ne cum Slauis (p) in vnum conspirantes vltima patriæ atque extrema inferrent. Quamobrem neutiquam ei vitio vertendum reor, quod a Barbaris sollicitauerit pacem; quod annua etiam munera promiserit; quod Principem quemdam captum sine lytro, nulloque auri atque argenti pondere accepto, libertati restituerit. (q) Hanc enim necessitatem infausta rerum omnium perturbatio imponebat, commeatu, pecunia, milite vetere, qui sub tentoriis consenuisset, eoque victore (r) deficientibus.

(i) Antea ex Folcuino Abbate elogium Giselberti produximus. Nunc Gerardi Bronienſis Abbatis vitam commendamus, quem Giselbertus summo in honore habuisse fertur. Dicitur ille Bronienſis, a monasterio, quod Galli *Brugne* vocant, inque vicinia Namurcensis vrbis situm est. Huius vitam ab *Anonymo* sæculo X. vel XI. scriptam *Mabillonius* sæculo V. Benedictinorum recitat, stilo genuino; quam Surius olim mutatam, ac interpolatam ad diem III. Mensis Octobris exhibuerat. In hac occurrunt quam plura ad Giselbertum pertinentia, ac Henricum Aucupem, quem initio statim magnificis honorum titulis vetustus auctor exornat.

(k) Ab Arnulphi Imperatoris ætate Hungarorum nomen in Germania primo auditum est. Fuit, cum alios secutus Hunnos ab his diuersos existimarem. Verum iam aliter animum induco. Eiusdem enim cum Hunnis originis sunt, vt recte *Bonfinius* monuit.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [126] - 114
PUBLIC DOMAIN

monuit. Theophylactus Simocatta, qui varia, itemque singularia de Hunnis atque Auaribus Lib. VII. cap. VI. seq. in *Historia rerum a Mauritio gestarum* tradit, in hac me sententia confirmauit; cum, quos Hungaros alii vocant, septimo iam sæculo Οὐννογύρους dixit. A quo Constantinus Porphyrogenneta nequaquam dissentit, qui in libro *de administrando imperio*, a Ioanne Meursio primum edito, Hungaris proprie dictis Turcarum nomen tribuit. Nam Græci, Byzantini, Arabes, Persæ, Scythas, qui extra & intra Imaum viuebant, eoque ad veterem vsque Tartariam extendebantur, Turcas vocarunt. Non dubito, quin etiam Hunniuar, de quo Iornandes, † huc pertineat.

† *De Reb. Getic. cap. LII. p. 689. edit. Grot.*

(l) Refertur hæc synodus cum aliquot canonibus a *Cossartio*, quos ex Iuone, & Burchardo collegit Tomo Conciliorum IX. ad a. Ɔcccxxii. Baronius atque Binius ad a. Ɔcccccxii. reiecerunt, ab Iuone haud dubie seducti, cuius calculus aberrat. *Verisimile est*, inquit Schatenus Annal. Paderb. Lib. III. p. 257. *Carolum & Henricum conuenisse simul Confluentiam ad fœdus, & amicitiam firmandam, quod per id tempus Giselbertus Dux homo inquietus, & regnandi cupidus multa turbaret ad Lotharingiam sibi asserendam.* Memoratu dignum videtur, Henricum Carolo vbique in hoc conuentu præponi, ac præfuisse itidem synodo Herimannum Colonienſem Archiepiscopum, qui id temporis Caroli sceptris adhuc paruerat.

(m) Neque enim hi in vna prouincia consistebant, sed modo Francofurti, modo Ratisbonæ, in Allemannia modo, modo in Saxonia, vti res exigebat, commorabantur: idque diplomata diuersis locis data confirmant.

 (n) Wi-

(n) Witechindus Lib. I. p. 628. *Cum iam ciuilia bella ceſſarent, iterum Vngari totam Saxoniam percurrentes, vrbes & oppida incendio tradiderunt, & tantam cædem vbique egere, vt vltimam depopulationem comminarentur.* Notauit ad hunc locum *Meibomius* ex Gobelini Coſmodromio Herfordienſe cœnobium tunc temporis Hungarorum furore eſſe deſtructum. Quod etiam verum eſt, ac tabularum, quas Henricus huic virginum Collegio denuo dedit, fide luculenter probatur. Primum illas e tenebris Nicolaus Schatenus eruit, quem vide p. 261.

(o) Quod ſi Venedorum nationes concordibus armis vna cum Hungaris Germanos eſſent adortæ, non eſt non fatendum, hos ſeruitutis iugo tam facile potuiſſe ſubiici; quemadmodum iſtæ poſt aliquot ætates ad duriſſimam mancipiorum ſortem ſunt redactæ. Sed cum Slaui, ferali diſcordia eualeſcente, ipſi inter ſe ferrum ſtringerent, peroptata interea occaſio Teutonibus obtigit, conſociandi vires, atque animos ſub Rege bellicoſo, ac ſenili, itemque regia prudentia effulgente.

(p) Mox enim Quedlinburgi eum offendimus, vbi a. Ioccccxxii. Corbeienſibus a Francorum Regibus conceſſa priuilegia inſigni diplomate confirmauit, cuius *αὐτόγραφον* hodienum oſtendunt, ſigillo Henrici munitum, quod liberaliter *Ioanni Michaeli Heineccio*, viro clariſſimo delineandum conceſſerunt: mox Werlæ in Weſtfalia hærentem reperimus, in antiquiſſima ciuitate palatio Saxonicorum Regum conſpicua, quæ Epiſcopis hodie Colonienſibus ſubiacet. Ibi, cum Hungari Saxonum terris vaſtitatem inducerent, ſecurus egit. Apte Witechindus l. c. *Rex autem erat in præſidio vrbis, quæ*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [128] - 116
PUBLIC DOMAIN

quæ dicitur Werlaon. Fuit, qui hoc oppidum in vicinia quæſiuit, & Werlizium, quod eſt in Anhaltino territorio pro receptaculo Henrici venditauit. Verumtamen errat. Nec enim Werlizium in antiquis monumentis vnquam Werlahon, Werlahu, Werla dicitur; ſed Wörgeliß/ quod varia a Becmanno vulgata diplomata pervincunt. Vtrum autem Goslaria, & Werla vna eademque ciuitas ſit, diſceptatum nouimus. Optime rem *Heineccius* noſter Antiquit. Goslarienſ. Lib. I. p. 7. expediuit, cum ex hiſtoria male intellecta fabulam coortam oſtendit. Vix etiam aliud ex Speculo Saxonico elucet, vbi palatium, quod Werlæ floruit Goſlariam tranſlatum dicitur. Nam auctor ſpeculi de ſuis temporibus teſtatur. Hic vero cum nonnihil de Werlahenſi oppido audiuiſſet, putauit, Goſlariam, quæ regiæ ciuitatis nomine tunc cluebat, Werlahenſis palatii memoriam aboleuiſſe.

(q) Rem omnem Witechindus exponit: *Quantam autem ſtragem fecerint illis diebus, aut quanta monaſteria ſuccederint, melius iudicamus ſilere, quam calamitates noſtras verbis quoque iterare. Contigit autem, quemdam ex principibus Vngarorum capi, vinctumque ad regem duci. Vngari vero ipſum in tantum dilexere, vt pro redemtione illius innumera auri & argenti pondera offerrent. Rex autem ſpernens aurum expoſtulat pacem, tandemque obtinuit, vt reddito captiuo cum aliis muneribus ad nouem annos pax confirmaretur.* Igitur plus quam poetico furore abreptus *Dietericus Langenius* falſo cecinit.

Ex hinc ipſorum Regem cepit Hungariorum
Quem captiuabat in Werle decapitabat.

Quo anno pacem fecerit Auceps ſcriptores diſcordant. Eſt tamen veritati admodum conſentaneum vel a. ccIoxxiv. vel etiam inſequenti contigiſſe.

(r) Idem Witechindus ſatis clare : *Rex autem erat in præſidio vrbis quæ dicitur Werlaon. Nam rudi adhuc militi & bello publico inſueto contra tam ſæuam gentem non credebat.*

§. XX.

Itaque obtentis induciis, ac pace in nouennium ſtabilita ad gentis contumeliam, malumque, quod regnum hactenus conquaſſauerat, auertendum, omnes cogitationes, omniaque conſilia conuertit. Duo enim inprimis erant, vnde penuria domi, vnde intuta omnia, vnde confuſio, ac totius reipublicæ perturbatio proueniebant. Intelligo militaris diſciplinæ neglectum, ac munitionum, & ciuitatium ſummam in Saxonia infrequentiam. Quæ vt corrigerentur, ex agrariis (ſ) militibus nonum quemque in vrbes, ac vallis ſepta oppida tranſtulit: ceteris ruri operam dare iuſſis, vt, in vnum collectis frugibus, horrea replerent, ac inde tertia parte demta rerum quarumcumque vtilium apparatu futuræ neceſſitati proſpicerent. Et ita vero munitarum vrbium ingens numerus ſurrexit; ita liberti non tantum, verum etiam equeſtri familia nati perpetuas intra mœnia fortunarum ſuarum ſedes ſtatuerunt, vbi vilia olim capita (t), & non niſi ſordidi homines domicilia collocauerant. Eſt enim præſumta admodum opinio, vniuerſos, itemque ſingulos, qui ex rure in vrbes iam commigrarunt, ſeruilis conditionis, atque originis fuiſſe: vt cuius inconcinnitatem diuerſi in illis ordines reuincunt,

cunt, & imperantium, ac parentium distinctæ classes ostendunt. Nam etsi hos, quibus obsequii gloria relicta est, vel libertis, vel libertinis accenses; quod lubens quoque concedo, atque verum puto; alia tamen sine dubio iis adsignanda conditio erit, penes quos imperium in ciuitatibus atque summa rerum fuit. Quod sicuti recte a Ioachimo Potgiesero Tremonienſi eruditionis ac militaris scientiæ gloria florente obseruatum; ita bono posteritatis adnotatum est, Patriciorum (u) inde natales apte deduci, atque congrue demonstrari. Ex hoc autem consequitur; vt patriciorum, atque agrariorum militum eadem cunabula fuerint, iidem ortus, maiores iidem, ingenui omnes, nec nisi moribus postea dispares, belliciſque actionibus disiuncti (x). Cum enim prudenti consilio iussisset Henricus, vt conuiuia omnia, concilia populi atque conuentus intra muros celebrarentur, atque cogerentur; factum est tandem, vt etiam ingenua prosapia nati eiusmodi compendiis inhiarent, & bellicas artes perosi vel otio, vel mercaturæ operam darent; donec, discrimine omni sublato, pristinaque origine obliuioni fere tradita, plebeiorum etiam connubiis commacularentur. Ea cum fuerit ciuitatium forma, facile nunc de Godofredi Arnoldi (y) sententia iudicari poterit, qui, nescio quo subtili ingenio, Henricum perditæ cuiusdam confusionis ac luxuriæ non ferendæ reum facit. In quo, an curate rationes suas subduxerit, equidem dubito. Quomodo enim, quæso, tot gentium, ac populorum stabiliri securitas potuisset, barbaris vndiquaque irrumpentibus, nisi iis obiectæ fuissent arces, munimenta, vrbes, oppida mœnibus cincta? Et oppida quid? nisi illa homini-

minibus replerentur, & incolis, & defensoribus, & ciuibus? His autem cum neque vento viuere integrum esset, neque etiam illi, vnde sustentarentur, haberent, quid restabat, quam vt cauponariam exercentes, vinum, omneque genus zythi apud se diuertentibus venderent; nec fumi nebulas verendo lucanicas, pernas, porcinam, agninam, condimenta, & quæ alia huius generis sunt obsonia, pretio petentibus hilariter suppeditarent? Sapientissimus *Conringius* in scita, quam de vrbibus Germaniæ conscripsit, dissertatione suis rem ponderibus examinans, summis non tantum hunc Regem laudibus, vt meretur, extollit, verum etiam Germaniæ Theseum (z) appellat, qui quam vacuam fere ab oppidis atque præsidiis Saxoniam invenerit, munitam, ac totam fere Germaniam bene septam (a), & ab hostium insultibus tutam reliquisset. Eam comparationem, quamquam Ioannes Henricus Meibomius quadantenus culpat; (b) non est tamen in ceteris a Conringio discors, qui quod patriæ vtilitatibus accommodum deprehendit, etiam laudabile existimauit. Ceterum quas vrbes exstruxerit Auceps, quas muris, valloque circumdederit villas, quas arces arduis & deruptis collibus imposuerit, ambiguæ esse putamus (c) disceptationis.

(f) Witechindi verbis rem exprimam edit. Meibom. p. 639. *Igitur Henricus Rex accepta pace ab Vngaris ad nouem annos, quanta prudentia vigilauerit in munienda patria, & in expugnando barbaras nationes supra nostram est virtutem edicere, licet omnimodis non oporteat taceri. Et primum quidem ex agrariis militibus nonum quemque*

que eligens in orbibus habitare fecit, vt ceteris confamiliaribus ſuis octo habitacula exſtrueret, frugum omnium tertiam partem exciperet, ſeruaretque. Ceteri vero octo ſeminarent, & meterent, frugeſque colligerent nono, & ſuis eos locis reconderent. Concilia, & omnes conuentus atque conuiuia in vrbibus voluit celebrari, in quibus exſtruendis diu noctuque operam dabant, quatenus in pace diſcerent, quid contra hoſtes in neceſſitate facere debuiſſent. Vilia autem nulla extra vrbes fuere mœnia. Agrarios hic milites offendimus, non vrbanos, quos pro ſegnioribus habuerunt olim Romani, quod nec ab cultu, atque humanitate prouinciæ, nec a mercatoribus, qui animos ciuium effeminant, abeſſent. Raræ enim ante hæc tempora in Germania vrbes, rara oppida, quæ eſſent vallata. Vt fons, vt campus, vt nemus placuit; ita diuerſi colebant. Apud Romanos viciſſim nobiles in ciuitatibus viuebant: plebeii rure agebant; iſque ineptus a peritis rerum æſtimatoribus haberetur, qui equites Romanos, & iis oppoſitam nobilitatem in campis atque agris quæreret. Et eam enim ob rem Iacobus Perizonius † litterarum manſuetiorum egregius ſtator *Peraltium* hominem Gallum egregie depexum dedit, quando equites Romanos in caſtellis habitantes vel finxit, vel minus acute aliis id credendum obtruſit. In Germanis vero hoc neque inſolens erat, neque abſonum; non tantum, quod vrbibus carerent, verum etiam quod auitis prædiis fruerentur, vnde ſe exhibere, & ſuis ſumtibus militari munere perfungi poſſent. Multi, qui mercenariæ militiæ hodie ſunt adſueti, priſcos hos mores nec animo queunt concipere, nec mente ſatis comprehendere. Etenim noui, qui illius ætatis

† *in Q. Curtio vindicato p. 55.*

nobiles ruſticis noſtris æquiparent, errore ſi non prorſus pudendo, tamen inſigni. Magna namque inter ingenuum & ruſticum differentia eſt. Hic ſeruilis conditionis fuerat; ille liber homo: hic glebæ adſcriptus & verum mancipium; ille mancipii ac glebæ dominus: adeoque nulla re ſibi ſimiles, quam quod habitarent vna, oriſque humani effigiem gererent.

(t) Iterum hoc iis peregrinum videbitur, qui rerum, ac patriarum imprimis antiquitatum imperitia laborant; ſed facile victas dabunt manus, ſi plerorumque oppidorum initia iuſto iudicio examinauerint. Eſt enim a præſtantibus viris animaduerſum, atque ab omnibus, qui veterum monumenta cum cura legunt, obſeruari etiam nunc poteſt; ad ea inprimis loca hominum ac libertorum numerum confluxiſſe, quibus vel templi, vel cœnobii magnifica ſtructura, vel virorum ſacrorum inſignis auctoritas, atque fama celebritatem induxiſſet. Ibi igitur habitantes opificiis vacabant, mercaturam faciebant, varia gerendo, contrahendo, eaque cum maxime venalia habendo, quæ ad vitæ commodioris vſum, itemque neceſſitatem pertinere videbantur. Neque emtores facile deerant. Fuit enim eorum, qui religionis cauſſa ad loca ſacra commigrabant, ingens ſæpe copia; qui ſicuti multis rebus indigebant; ita vel præſentibus nummis, vel permutatione facta ſibi ſuisque rationibus vtilia comparabant. Vnde ad veritatem proxime accedit, quod Carolus Cangius in Gloſſario ſuo multis probat: vocabulum Meße/ vel Kirch-Meße inde eſſe ortum, quod ad alicuius Sancti feſtum ob populi frequentiam ſolennes nundinæ indici, ac celebrari conſueuiſſent. Ad quod firmandum Dagoberti charta potiſſimum facit,

cit, quam *Ioannes Nicolaus Hertius*, vir longiori vita dignissimus, in dissertatione de superioritate territoriali §. XXI. vna cum *Cangio* ex *Doubleto* adduxit, qua Rex constituit, *vt in honore Domini & glorioſi patroni Dionyſii mercatus conſtituatur ad miſſa ipſa*. Et talia, quæ hactenus recensuimus, negotia ab ingenuis hominibus nec suscipi ob generis dignitatem, nec exerceri ob publica regni seruitia poterant, vt qui in acie versari potius, ac esse in exercitu debebant, domi habentes interea, ac inuenientes, quæ ad vitam digne sustentandam necessaria reputantur. At vero libertis aut nihil supererat, vnde vitæ subsidia sumerent, aut modicum, vnde necessitatibus suis subuenirent, nisi hunc sibi quæstum, fatis sic dispensantibus, instituissent. Ea vero ratione apposite perspicimus, quemadmodum vrbes atque oppida paullatim emergentia, multiplicato hominum ac libertorum numero, aucta sint; sacerdotibus in hanc rem strenue incumbentibus, ne sibi relicti, ac aliorum hominum operis destituti multis commoditatibus carerent, ac secum tantum viuentes latronum furori, ac iniuriis obnoxii forent. Ex quo perspicue nunc quidem constare putamus, quare *Corbeienſis Monachus nihil vile extra mœnia* reperiri dixerit. Sordidi enim quique in vrbes copiosas atque muris validas se contulerant. Ingenui, ac liberaliter educati extra muros in agris atque pagis vitam transigentes domicilia haud facile mutabant; donec Henricus Auceps nonum quemque in ciuitates transferret, vt ceteris cum imperio ibidem præesset, & quæ ad vitam atque cultum opus forent, e reliquorum manibus atque fundis acciperet. Nescio igitur, annon huc referenda

quoque ſit elegans obſeruatio, quam ex eodem Witechindo acutiſſimus *Schilterus* † de ſurburbiis Merſeburgenſium collegit. Verba Monachi ſunt: *Rex quippe Henricus, cum eſſet ſatis ſeuerus extraneis, in omnibus cauſſis erat clemens ciuibus: vnde quemcumque videbat furem aut latronem manu fortem, & bellis aptum a debita pœna ei parcebat collocans in ſuburbano Merſaburiorum datis agris, atque armis: iuſſit ciuibus quidem parcere, in barbaros autem in quantum auderent, latrocinia exercerent.* E ſuburbiis autem facilis ad ipſam vrbem acceſſus erat, nec petentibus fere negabatur; quoniam iam variorum populorum colluuio, & inferioris ſortis homines, & fæx plebeia, & infima multitudo ibi domos atque ſedes ſuas poſuerant.

† *Exercitat. ad ff. III. p. 56.*

(u) Plerique, cum de patriciis Germaniæ agunt, Romanorum annales atque commentarios peruoluunt, vt ex illis nonnulla inficete trahentes ad noſtros mores accommodent, applicentque. Iis vero ſuadendum non tantum, verum etiam præcipiendum eſt, vt ab eiuſcemodi inutili ac inſulſo labore abſtineant; ne turpiter amplius in eorum conſpectu ſe dent, qui meliora edocti veros patriarum originum fontes cognoſcunt, eoſque detectos aliis lubenti animo oſtendunt. Claſſicus enim in hac cauſſa teſtis eſt *Witechindus* Monachus, qui ex agrariis militibus nonnullos in oppida atque vrbes, ſcribit, traductos. An vero agrarius miles miſeræ & ieiunæ plebeculæ adſcribendus, aut libertis erit aggregandus, obſcuræ originis turbæ? Et dubitem †. Tu dic, ab his ingenuis honeſtiores ciues eſſe coortos, quos ſequior ætas patricios appellauit, quod tamquam gentes ciuium

† *v. Potgieſerus de ſtatu ſeruorum L. I. c. 2. n. 29.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [136] - 124
PUBLIC DOMAIN

uium Romanorum patriciæ a ſellulariis, ac vltima plebis familia initio ſe diſpararent, ac genere diſiuncti præcipuam in vrbibus claſſem efficerent. Quibus conſtitutis finitimum nunc eſt, vt videamus, quare in multis rebuſpublicis ad paucos ſumma rerum peruenerit, hoc eſt, ad ἀριστους, ac optimates. Et fatendum eſt, a principio in regum arbitrio ciuitates pleraſque, atque poteſtate fuiſſe. Hi iudices dabant, hi præfectos; horum nomine ius gladii exercebant Comites; ad eos prouocabant ciues: conſtitutis interea ex honeſtioribus, qui foro, qui publicæ rei, qui tuitioni ciuitatis, qui ordini inter ciues proſpicerent, atque inuigilarent. Sed contigit poſtea, vt integræ interdum ciuitates Imperatorum ac Regum benefica voluntate, (quam alii profuſionem appellant) in Epiſcoporum, quid? quod Abbatum etiam ac cœnobiorum poteſtatem peruenirent. Perſpicue enim falſum eſt, monaſteriis primo ſtatim progreſſu tantam hominum multitudinem, quæ amplis poſtea vrbibus anſam, atque occaſionem præbuerunt, quaſi per alluuionem acceſſiſſe: peculiari Regum in hanc rem conſenſu opus erat, ſi arces, ſi oppida, ſi vniuerſitates, ſi imperium in illas eccleſiarum patrimonio atque fortunis adiicienda eſſent. Sed hunc vero precibus ad miſericordiam compoſitis, ad Epiſcoporum exemplum, haud raro cum fiſci iuribus impetrabant; quæ Aduocatis deinde, hoc eſt, monaſteriorum defenſoribus atque patronis cum aliis non minoribus exercenda, atque adminiſtranda committebantur. Neque enim fas erat, vt ſacerdotes mero mixtoque imperio fungerentur; ſicque capitalibus, itemque ciuilibus cauſſis expediendis vacarent: eiuſmodi

profanarum rerum cura ad patronos pertinente, vt recte animaduertit Cl. *Paullini*, qui œconomorum atque Aduocatorum, quos ita appellabant, munera curate satis, veterum chartarum testimoniis fretus, distinxit. Et hos autem vel Cæsares constituebant, vel ipsi Episcopi priuilegiis in hanc rem peculiariter instructi, vt de Bremensi Præsule ex *Adamo Bremensi*, & quod certius est, ipso Ottonis M. diplomate constat, quod *Petrus Lambecius* in originibus Hamburgensibus excerpsit; Erpoldus vero Lindenbrogius † integrum in priuilegiis Archiecclesiæ Hamburgensis descripsit. Iam vero cum Antistites sacri atque Abbates tot ac tam opimas ciuitates regali munificentia obtinuissent, quid mirum, si Duces atque Comites omnem lapidem mouerint, vt simili liberalitate, ac paris ponderis muneribus recrearentur? Fallor, an exinde distinctio inter *regales*, ac *præfectorias* ciuitates repetenda est; de quibus nonnihil in membrana Ottonis II. apud Nicolaum Zyllesium † exstat: *Bannum & fredas nulli nisi Abbati persoluat, nullasque nisi Abbatis, vel ab eo constitutorum placitum attendat, & in singulis ciuitatibus* IMPERIALIBUS *vel* PRÆFECTORIIS *liberam potestatem habeant intrandi & exeundi* &c. Similia fere in Ottonis III. & Henrici II. chartis apud eumdem Zyllesium occurrunt. At contigit eo pacto, vt Cæsares, patrimonio, quod habebant, cum a sacerdotibus, tum a præfectis emungerentur; paucæque e ciuitatibus supereſſent quæ imperii fisco adnumerari possent, accensérique. In quibus, etsi Regibus eximia iura competebant, vt vix excogitari possint maiora; tamen & hæc tandem fere vniuersa in senatus, qui ex honoratioris ordinis ciuibus

† *Syntagm. Script Septentrional. p.* 131. *edit. Fabric.*

† *In defens. Abbat. S. Maxim. p.* 27.

Sub. an glauis

uibus coaluit, arbitrium atque poteſtatem priuilegiis partim, partim præſcriptione aliiſque modis ſunt tranſlata. Eam ob cauſſam *Hermannus Conringius* peritiſſimus harum rerum ſpectator non ſine veriſimilitudinis quadam ſpecie † adfirmat, † *In diſput. de Vrbibus.* vix vllam ſæculo XIII. fuiſſe imperii vrbem, quæ paucorum arbitrio non regeretur. Pauci vero *n.* 129. illi, hoc eſt, optimates ad agrariorum militum in ciuitates concedentium tempora originem ſuam referunt, cuius migrationis initia, vt ab Henrici ætate recte ducuntur; ita fruſtra ac præter rationem eidem poſt Aucupis exceſſum finis atque terminus adſignatur. Frequentiſſime enim nobiles familiæ tam ante, quam poſt illud famoſiſſimum interregnum rura cum ciuitatibus commutabant, fortunam ibi ſecurius, quam in agris, vbi intuta omnia, experturi: donec ſæculo XIIV. in pleriſque vrbibus ſuperba ac immoderata imperia paucorum indignatum vulgus excuſſo obſequii iugo in ochlocratias, aut democratias florentes optimatium ſtatus conuerteret. Quibus obſeruatis, patere iam quidem exiſtimo, quare viri eruditionis laude præcellentes ciues vniuerſos ac ſingulos eodem pede atque modulo deſcribi, aut infrunitæ prebis nomine commaculari noluerint, *Henricus Buntingus* Chronici Brunſuicenſis auctor haud leuem operam inſumſit in deſignandis patriciis gentibus, quibus ſuo tempore Hannouera, ac Brunſuiga inferioris Saxoniæ ciuitates fuerint repletæ. Nec dubito, quin amplior talium nominum ſeges colligi, atque cumulari poſſit; ſi quis manum huic admouere negotio velit.

(x) Mercatura apud eas gentes odio eſt, qui omnem nobilitatis ſplendorem atque prærogatiuam in bellica

bellica virtute collocant. Ceteræ, quibus diuitiarum abundantia pro fine eſt, alio plane modo rationes ſuas ſubducunt, quemadmodum de Africæ populis conſtat. Nec fere Itali, atque Angli hodie hac in re accuratiores, aut generoſiores ſunt. At quæ ad ſeptentrionem nationes viuunt, armorum cupidæ, armiſque fere innatæ ſunt, atque innutritæ. Vnde nulli facile nobilitatis dignationem concedunt, niſi qui caſtra atque exercitus ſequatur. De burgariis, quos Salluſtii ac Liuii ſtilo caſtellanos appellabimus, ſignanter Spelmannus in Gloſſario: *Hi dum cauponandis mercibus & rei mechanicæ operam nauarent, generoſæ turbæ militiam omnino admiranti deſpectui erant, adeo vt nec cum illis commercia iungerent, nec Martis aleam experirentur.* Si qui igitur in ciuitatibus habitantes ab hac labe immunes manſerunt, armis dediti atque exercitati animos omnium, atque oculos in ſe conuerterunt. Ipſe Henricus Auceps ciuium, qui in vrbibus habitabant, acta humiliter æſtimabat; donec illorum virtutem proprio experimento edoctus cognoſceret. Ditmarus Merſeburgenſis hanc mihi notationem ſuppeditat. *Rex autem*, inquit, *Auares ſæpe numero inſurgentes expulit, & cum in vno dierum, hos impari congreſſu lædere tentaret, victus in vrbe, quæ Bichin vocatur, fugit ibique mortis periculum euadens, vrbanos maiori gloria, quam hactenus habuerant, vel comprouinciales hodie teneant, & ad hæc muneribus dignis honorabat.* Vnde indubie nunc cognoſcitur, quis ciuitates primus, eorumque incolas prærogatiuis ac priuilegiis donauerit. Neque minus egregius de Noribergenſibus apud Ottonem Friſingenſem † locus occur-

† *De Geſtis Friderici I. cap. XVII.*

occurrit, quem, quia ad gloriam illorum pertinet, & huic inprimis cauſſæ inſeruit, integrum dabimus: *Oppidani* (ab obſidione Lotharii Regis liberati) *cum ingenti clamore deſcendentes caſtra iam vacua irruunt, & ſi qua ibi remanſerant, diripiunt, dominoſque ſuos cum magna lætitia ſuſcipientes in caſtrum ducunt, Duces* (Conradus atque Fridericus) *oppidum ipſum victualibus, aliiſque neceſſariis muniunt; ſicque Regem inſequentes, illo in ciuitate manente, tyrocinium, quod vulgo nunc turniamentum dicitur, cum militibus eius extra exercendo vſque ad muros ipſos progrediuntur.* Et hoc vero torneamentum non feſtiuum erat, ſed hoſtile, quod infeſtis animis, armiſque & gladiis ferro aculeiſque inſtructis inibant. Tornatio enim, ſeu turniamentum prælium atque conflictum ſonat. De pluribus locis, quæ Cangius tum in Gloſſario, cum in diſſertatione ad Ioinuillam attulit, vnum ex Galberto in vita Caroli Comitis Flandriæ p. 121. producam: *Rex*, inquit, *& Comes cum graui exercitu obſedit Ipram, & facta eſt* TORNATIO, *& militiæ vtrimque acriter occurſus.* Ecquando vero iſtud vocabulum in morem loquendi irrepſerit, deinde videbimus.

(y) In Hiſtoria Eccleſiæ ac Hæreticorum Tom I. Lib. X. cap. II. n. 7. ſequentia inuenimus: Indeſſen hat auch dieſer Kayſer ſonderlich die Städte in Sachſen angefangen / und wider die Barbaren etliche Dörffer zuſammen gezogen / und mit Mauren nach damahliger Art umgeben / welches zuvor noch nicht gebräuchlich ware. Darin hat er von dem Landvolck allezeit den neundten Mann laſſen wohnen / den die übrigen achte unterhalten müſſen. Im übrigen hat er auch angeordnet / daß alle Zuſammenkünffte / Gelage / und

Gaſtereyen in Städten geſchehen ſolten/ damit ja ein rechter Zuſammen-Fluß aller Schwelgerey und Hoffart in den Städten würde. Eſt hoc familiare Arnoldi, viri alias, vt videtur, ſeueri vitium, vt cum de conuiuiis aliquid apud veteres inuenit, atque legit, is commiſſationes, atque omne luxuriæ genus animo atque mente concipiat. In quo euidenter decipitur. Nec enim omnes epulæ plenam ac confertam voluptatibus vitam produnt; aut ad laſciuiam deflectendo ventris atque gutturis vitiis locum faciunt. Conuiuia erunt, donec homines. Hæc cum Principes permittunt, nequaquam volunt, vt vino ſepulti ciues deliciis affluant, atque molliſſimis illecebris eneruentur. Iſtud minimum ab Henrici propoſito prorſus alienum erat. Volebat is viros fortes: Germaniam a Barbarorum vi, atque inſultibus ſaluam cupiebat: effeminatos atque inertes capitali odio proſequebatur. Igitur dici vix poteſt, eum in ciuitates infamem introducere luxuriam ſtatuiſſe. Si quid aberratum, populi potius, quam optimi Regis vitio factum eſt. Quis vero tam prouidus eſt, atque ſapiens, vt abuſiones omnes præcauere, vt omnem improbitatem, omneinque intemperantiam queat auertere? Tu ſi imperes, aliter ſentias. Si quid ſcio, hæc Henrici cogitatio fuit: in agro degentibus ſuppetit, vnde viuant, in vrbe agentibus nihil aut parum ſupereſt: ergo ſi nuptiæ celebrandæ, ſi conuiuium ſolenne apparandum, ſi conſanguineis, amicis, familiaribus aliquid indulgendum, intra mœnia id fiat, cum olim in pagis atque villis talia non minus fierent, ac facta obſeruarentur. In qua cogitatione quid vitii lateat, equidem non ſentio; niſi forte omne conuiuiorum,

uiorum, ac ferculorum genus e Chriſtianorum republica proſcribendum iudices. At ſi hoc modo argumenteris, non homines amplius, ſed genios deſiderabis, qui pingui corporis trunco deſtituantur, ac illa fæculenta carnis portione careant. At vereor, vt, quod cupis, obtineas, inueniaſque. Per me celebrentur conuiuia; ſed ebrietas abſit: hilarius prandeant; ſed laſciuia exſulet: lautius interdum coeant; ſed intemperantia tollatur. Verumtamen difficile id eſſe, fateor, obtentu. Igitur eo inprimis laborent doctores; in hoc conſilia, ac cogitationes ſuas conuertant, hortentur, moneant, inſtent, vrgeant; vt ad virtutem, omnemque ſobrietatem exemplum præeuntes animos ab omni vitiorum labe abſtrahant. Vt vero lætitia, atque luxus; ita triſtitiæ, ac μελαγχολίας intemperies reipublicæ nocet. Vnum reſtat, quod excutiamus. Quæritur namque, an cereuiſiam coquendi, ſeu braxandi, quod vocant, ius hac ætate ita ad ciuitates ſit translatum, vt ingenuis, qui rure ſe tenuerunt, integrum amplius non fuerit parare eiuſmodi liquorem, paratumque vendere. Et ſunt nonnulli, qui ſorditiem nobilibus, ac cauponariæ dedecus eiuſcemodi lucrum adfectantibus impingunt. Ego vero vt ab hac macula lubenter eos abſoluo, ita non poſſum non ingenue fateri, voluiſſe Henricum, &, qui hunc ſequebantur, Imperatores; vt hic quæſtus ciuitatibus noue exſtructis, earumque incolis relinqueretur. Pro familia vt pararent, nec interdictum eſt illis, nec interdici potuit: at vt aliis vendant, & hac atque illac picatis doliis miſſis cereuiſiam per ciuitates diſtribuant, ab antiqua nobiliorum conſuetudine alienum eſt. At ſicuti

tota Germania, primis moribus immutatis, aliam propemodum faciem induit: ita nihil cauſſæ videmus, quare tot querimoniis replendus ſit orbis, ſi equeſtri dignitate conſpicui ad hos latices ſeſe conferant, vt nonnihil lucri inde in agros ſuos, atque prata deriuent. Lex enim lege, ac conſuetudo conſuetudine vincitur. Niſi igitur nouiores Principum conſtitutiones obſtarent, ac auſibus nobilium refragarentur, ſalua ſane res foret, ſalua cereuiſiam parandi, vendendique libertas. Ii enim merito ridentur, ac exploduntur, qui patriis ea ratione infamiam inferri cineribus falſo ſibi perſuadent.

(z) Verba huc facientia §. LXXXII. habentur: *Primus præ aliis ſtruendis vrbibus operam dedit Henricus I. Rex, quem aucupem nuncupant, vere Theſeus Germanicus. Vt enim ille Athenienſes, ita hic Saxones certe, ſi non & alios Germanos ex agro in vrbem compulit. Vrgentibus ſcilicet inſtitutum Hungarorum immanibus irruptionibus, quo tutus daretur miſeris receptus.*

(a) Non eſt putandum, nullas antea in Saxonia vrbes exſtitiſſe, nullas in Germania. Erant omnino, erant etiam munitæ, ſed raræ, nec Vngarorum inuaſionibus retardandis ſufficientes. Quod iam a *Conringio* l. c. probe monitum eſt. De eo diſceptant, vtrum etiam in reliquis Germaniæ prouinciis plures ciuitates Henrici Aucupis ætate ædificatæ, ac mœnibus cinctæ? Et plerique adfirmando reſpondent. Inprimis autem Martinus Cruſius † obſeruat, Vlmam, Francofurtum, Tigurum id demum temporis muris atque munitionibus eſſe vallatas, cum ſæuæ barbarorum gentes etiam Allemanniam peruolarent.

† *In Sueuiæ Annal. Part. II. Lib. III. c. VI p. 80.*

(b) Ad-

(b) Adscribam locum ex Introductione in Historiam inferioris Saxoniæ p. 32. *Vocatur idcirco Theseus Germanicus, quamuis magna sit disparitas, & si, non obiter de eo aliquid referentes, sed Thucydidem Lib. II. & Strabonem L. IX. legas, Theseus †† Accurate ille Græcus alio instituto, alio consilio, non tam homines ex agris Atticæ in vrbes, quam ex reliquis oppidis in vnam vrbem coegerit, & ex vndecim seu duodecim Atticæ vrbibus vnam effecerit, Athenarum ἄστυ dictam.*

Tum ex antiquis Vbbo Emmius depinxit in Descriptione Atheniensium reipublicæ p. 8. seq.

(c) Ditmarus Merseburgensis Lib. I. Misnam, Quedlenburgum, & Merseburgum nominat. Sed fuisse longe plures a vero haud alienum est. v. *Casp. Sagittarii* historia Bardeuici p. 152.

§. XXI.

Sicuti autem munitionibus patriam sapienter circumdedit Rex cordatissimus; ita omnibus imperii neruis ad reuocandam pristinæ militiæ disciplinam connisus est. Nam qui olim rudis (c*) erat miles, nec ad arma condocefactus, eoque hostibus debellandis impar, is nunc per cottidiana exercitia destinato missilia ictu, magnisque viribus iaciebat, ac scutum docte tractans (d) obliquis ictibus venientia tela deflectebat. Adeo omnia in campestri meditatione prænoscebat, quæcumque euenire in acie, atque præliis poterant. Plerique eruditorum in hanc ætatem simulatarum pugnarum origines conferunt; ac equestrium ludorum exercitia, quæ torneamenta nouitius stilus appellauit: tametsi multa hic videantur discernenda. Etenim æuo iam Carolingico (e) inter se in modum iustæ pugnæ in media pace equestribus turmis concurrebant, vt eiusmodi belli

meditamentis ad militiam firmarentur. Ex quo merito, atque iuſte concluditur, noſtro Henrico eius rei initia falſo attribui. Quare alii maiori prouidentia talium ludorum inſtaurationem, atque renouationem ei adſcribunt, in quibus perdoctus Schubartus (f) eſt, qui inſignem de ludis equeſtribus tractatum in vulgus emiſit. Verumtamen obſeruauit Carolus Cangius in opere, quod ſcripſit, immortali torneamenta, quæ vulgo vocantur, tot ſolennibus, tantoque apparatu celebrata vltra ſæculi XI. ætatem vix adſurgere, ac Gallis auctoribus demum in Angliam, Germaniam, aliaque orbis Europæi regna eſſe inuecta. In quo ei lubenter calculos adiicimus (g), ſimulatque nouum contra Ruxnerum (h) eiuſque exſcriptorem Franciſcum Modium (i) argumentum capimus, atque commendamus, qui fabulas, atque fumum ſe paullo imperitioribus diuendiderunt. Quamquam enim Caſpar Sagittarius Hiſtoriarum apud Ienenſes Profeſſor Ruxnerum promiſit exenteratum, in quo vera a falſis, dubia ab certis diſtinguerentur; non præſtitit tamen ille, quod eſt meditatus, eaque ratione ambiguum reliquit, vtrum in tanta rerum caligine vel liberare potuerit fidem, vel etiam voluerit. Mihi namque perſuaſum eſt prope, pauciſſima in Ruxneriano opere inueniri, quæ indubitatis annalium teſtimoniis queant firmari, illuſtrarique (k). Quapropter certa potius, aut veriſimilia ſeligamus, abiicientes incerta, aut falſo tradita, itemque commentitia, vt quæ omnem hiſtoriarum fidem aut conuellunt, aut ſaltem ſuſpectam reddere apta ſunt. Enimuero, quod de expeditionalibus rebus Gobelinus Perſona (l) litteris conſignauit, diligentiorem inſpectionem meretur. Hæc noſtris

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [146] - 134
PUBLIC DOMAIN

ſtris conſuetudo temporibus durat: hæc non vulgares de origine geradæ (m) meditationes ſuppeditat: hæc priſcum Germaniæ ſtatum retegit, claraque luce colluſtrat.

(c*) De rudi Germaniæ milite in quo parum fiduciæ collocauit Auceps, ſupra ex Annalibus Witechindi diſſeruimus.

(d) Ne finxiſſe hæc videamur, † Luitprando notata ſubiiciemus, prælium cum Hungaris vivide depingenti: *Saxones igitur admonitionis huius ſaluberrimæ non immemores ordinata æqualiter acie currunt, nec eſt, qui velociori tranſeat equo tardiorem: verum clypeo, vt Rex dixerat, altrinſecus cooperti ſagittarum ſuper clypeos recipiunt ictus innocuos: deinde* &c. Clypeorum autem, quibus vtebantur, figura talis erat, qualem ex ſigillo *Corbeienſi* depictam in fronte diſſertationis exhibuimus. Neque enim ſcutis amplius oblongis, aut planis, aut quadris, quemadmodum *Taciti* ætate Germani, ac Saxones hic vtebantur; ſed breuibus, ac prope rotundis, vt ora illis, atque vultus munirent, cetera ferro vtplurimum tecti, & galea ſeu caſſide inſtructi. Quod ex Witechindo putamus liquere: *Rex vero veritus eſt, quemadmodum euenit, vt hoſtes viſo milite armato fugæ ſtatim indulſiſſent, miſit legionem Thuringorum cum raro milite armato* &c. At nondum tamen imaginibus ſcuta ornabant, ſed lineis, &, quod coniicimus, lectiſſimis tantum coloribus diſtinguebant. Hoc enim illæ indicant ſtriæ, quæ in clypeo Henrici Aucupis conſpiciuntur. Illud memorabile, potiſſimum in equitatu robur Henricum collocaſſe, mutato, quod veteres tenebant, conſi-

† *Lib. II. cap. IX.*

† *De Mor. Germ. cap. VI.*

consilio, qui pedestrem militiam Tacito teste †, equestri longe præferebant. Notus etiam de Francis apud Agathiam locus est: Ἵπποις δὲ ἥκιστα χρῶνται, πλὴν σφόδρα ὀλίγων, ἅτε δὴ αὐτοῖς τὸ πεζομαχεῖν σύντροφόν τε ὂν καὶ πάτριον καὶ ἄκιστα μεμελετημένον. *Equis non vtuntur, nisi admodum paucis, quippe qui ad pedestrem pugnam, quæ ipsis familiaris, patriaque est, optime sunt exercitati.* Vnde iis facile satisfit, qui, cum audiuissent Germanos equitatu inprimis valuisse, ad dubitationem sunt adducti, quod Clodouei æuo pedites plures, quam equites offenderent. Sed euanescet scrupulus, si tempora, quæ confunduntur, rite distinguantur. Vt namque superiori memoria peditatus maxime floruit; ita Saracenis irruentibus, Slauis orbem terrore implentibus, & nunc Hungaris denuo Germaniam sæuis exercitibus deuastantibus equestres copias peditum cohortibus prælatas legimus. Si quid asperum, siluestre, munitum obiiciebatur, vbi equestri pugna decertare non licuit, ex equis desiliebant, pedibus præliaturi, equis eodem remanere vestigio adsuefactis. Conuenienter Regino ad a. Ioccexci. de Arnulpho differens: *Interiectis diebus Nortmanni ex superiori pugna elati, cum omni virtute ad depræ-dandum proficiscuntur, contra quos Rex cum expeditis ad pugnam procedit. Illi cernentes acies appropinquare, super fluuium, qui Thilia dicitur, ligno, & terræ congerie more solito se communiunt, & cachinnis, & exprobationibus agmina lacessunt, ingeminantes cum insultatione, & derisu, vt memorarentur Guliæ, turpisque fugæ, cædisque patratæ, post modicum similia passuri, Rex felle commo-*

commotus exercitum iubet descendere, & pedestri congressione cum aduersariis decertare. Qui dicto citius ab equis desilientes clamore exhortationis dato præsidium inimicorum irrumpunt, & (Deo vires cælitus administrante) eos vsque ad internecionem ferro cædunt, terræque prosternunt, ita, vt ex innumerabili multitudine vix residuus esset, qui ad classem aduersum nuncium reportaret. Ex quo intelligitur, vel pedites nullos, vel paucos in exercitu Arnulphi fuisse. In pugna Henrici contra Hungaros, quam *Luitprandus* omnium optime descripsit, tantum equitatus mentio iniicitur; quod perinde ex *Witechindo*, licet, colligas. Verumtamen vix dubito, quin etiam pedites habuerit. At pedites nullo fere numero habebantur. Nescio quippe, annon eadem, quam Lambertus Ardensis p. 83. signat, consuetudo iam inualuerit:

Hinc socer, hinc soceri nati, procereſque propinqui
Hinc populus PEDITAT, *qui solo nomine guerræ*
Sponte subit, vel adit tanti discrimina belli.

Equites autem prædia possidebant, natalium nobilitate (*) coruscabant, soli militum nomine (**) insigniti, soli ingenui appellati, nobiles, satellitibus (***) instructi, famulis, (****) armigeris, clientibus. Ceteri obscuro loco nati Beyreuter (†) dicebantur, Einspännige/ ac recentiori denique æuo reusige Knechte/ (††) vt ab ingenuis distinguerentur. Sed caue tamen, ne milites primi ordinis cum gregariis confundas. Apposite Wippo in vita Conradi Salici: *Quod omnes Episcopi, Du-*

ces, & reliqui Principes, milites primi, milites gregarii, quin ingenui omnes, si alicuius momenti sunt, Regibus fidem faciant. Per milites primos eos, puto, intelligi, qui Ductorum officio fungebantur, ac vexilla gerendi in præliis ius habebant, vel Comites, vel liberi domini. Gregarii vero interdum *milites simplices* nominabantur. Matthæus Parisiensis *militum minorum* meminit. Interea nemo miles, cuiuscumque gradus, nisi ordini militari solenniter adscriptus. Itaque nobilis & miles differunt. Nobiles nascebantur, milites fiebant. Nam qui armigeri olim, domicelli, famuli, ingenui sæpe solenni quadam ratione militiæ inaugurabantur. Quod non tantum inter gregarios in vsu erat, verum etiam inter principes, ac superioris clypei nobiles. Collegit in hanc rem *Antonius Matthæi*, qui haud ita pridem Lugduni Batauorum fato est functus, in tractatu *de Nobilitate* Lib. IV. cap. XIII. exemplorum aliquam copiam; quem vt exscribere nolumus; ita etiam haud quaquam necessarium reputamus. Quare in desuetudinem iste mos abierit, *Ioannes Nicolaus Hertius* in dissertatione de Feudo nobili ostendit, vbi quædam non vulgaria.

(*) Vnde interdum domini vocati. Annales Colmarienses ad annum cIↃccLXXVII. *Posthæc Rex Bohemorum congregauit occulte decem millia dominorum volens occulte Regem comprehendere Romanorum.* Et apud Petrum de Vineis Epist. XVII. Lib. VI. *Milites fieri non poterant, qui de genere militum non nati erant.* Hinc Guntherus in Ligurino Lib. II. Edit. Reub. p. 305. de Longobardis tamquam singulare simul atque putidum obseruat:

Vtque suis omnem depellere finibus hostem
Posset, & armorum patriam virtute tueri

Quo-

Quoſlibet ex humili vulgo, quod Gallia fœdum vilain, villan;
Iudicat accingi gladio concedit equeſtri.

(**) Apud Ordericum Vitalem Lib. IX. p. 759. lego: *Chriſtiani autem habuerunt pæne mille MILITES, & XXX. millia PEDITVM.* Rogerius ab Houeden ſcriptor Anglus adhuc clarius cap. IↃↃↃLXXXI. *Die craſtina Rex Franciæ his auditis venit de Mantua cum CCC. militibus, & ſeruientibus, & COMMVNIS ſuis ad ſuccurrendum caſtro de Cauceles.* Et paullo poſt: *Capti ſunt de gente ſua vſque ad centum MILITES, ſeruientes, equites, & pedites capti ſunt, quorum non eſt numerus.*

(***) Signanter Guilielmus Brito Lib. VIII. Philipp. v. 586.

Cuius erant equites cum quadraginta ducenti
Septuaginta in equis famuli, peditesque trecenti.

Caue dicas, hunc auctorem eſſe Gallum natione, eoque fruſtra ad Germanicas antiquitates detegendas adduci. Neque enim conſtat, in his aliquid differentiæ inter Teutones, atque occiudos Francos, quin veteres Anglos reperiri. Habes in diplomatibus, chartis, membranis Germanorum famulos, habes armigeros, domicellos, ſcutiferos. Coaceruauit in hunc finem multa *CaſparBarthius* ad Britonem p 584. Hinc & ſæpe occurrit: Feudum vnius militis, feudum duorum aut trium militum, feudum vnius clypei. *Hæc cauſſa eſt*, ſcribit nonnemo, *cur in codicillis equeſtribus* (Ritter-Rolle) *hodienum præcipua bona equeſtria quatuor vel quinque equos inſtructos præbeant*, (daß ein fürnehmes Ritter-Gut muß 4. biß 5. Pferde ſtellen).

(****) Huc pertinent die Schild-Knaben/ Edle Knechte/ diſtinguendi omnino von den Edlen Mannen/ und Edlen Herrn und Rittern.

(†) Fulcherius Carnotenſis Lib. II. Hiſt. cap. XXXI. *Milites noſtri erant quingenti, exceptis illis, qui militari nomine non cenſebantur, tamen equitantes.*

(††) Vide *Dattium* de Pace publica Lib. V. cap. I. n. 52. Subiiciam nunc nobilitatis Germanicæ ſchema variaque nomina, quæ diuerſis obſeruata ſæculis ſunt, expolienda ac declaranda forte aliquando copioſius.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [151] - 139
PUBLIC DOMAIN

Rex
Fons nobilitatis

2.	3.	4.	5.	6.
copi	Duces.	Comites va-	Barones	Nobiles inferiores	Sendbare, Leute.
fen-	Marchiones	rii generis	Mittelfreye	Equites. }	Schöppenbare.
en.	Landgrauii	Freye Herrn	Banner-	Milites. } absolute	Siegelmäßige.
	Burggrauii	Liberi do-	Herrn	Domini }	Vrbici.
	Principes	mini.	Vexilliferi.	Nobiles }	Patricii.
	Layen-Fürsten		Stab-Herrn	Ingenui }	Ciues.
	Hohe Mann/		Edle Herrn	Schild-Knapen }	Stadt-Mann.
	Hohe Freye.		sendbar frey.	Armigeri	
		Milites	primi.	Scutiferi	
		Edle	Mann.	Famuli }	
				Edle Knechte	
				Knechte	
				Solidati terræ }	
				Miniſteriales }	
				Miniſteriales ſerui	
				Hoffdienſt Leute	
				Satellites }	

(e) Nithardus hic teſtis idoneus eſt, qui ſub finem Lib. III. *de Diſſenſionibus filiorum Ludouici Pii* ſequentia litteris mandauit: *Ludos hoc ordine ſæpe cauſſa exercitii frequentabant. Conueniebant quocumque congruum ſpectaculo videbatur, & ſubſiſtente hinc inde omni multitudine, primum pari numero Saxonum, Vaſconorum, Auſtraſiorum, Britonum, ex vtraque parte, velut inuicem aduerſari ſibi vellent, alter in alterum veloci curſu ruebat. Hinc pars terga verſa protecti vmbonibus ad ſo-*

cios

cios infectantes euadere se velle simulabant. At versa vice, iterum illos, quos fugiebant, persequi studebant, donec nouissime vtrique reges, cum omni iuuentute ingenti clamore equis emissis hastilia crispantes exsiliunt, & nunc his, nunc illis terga dantibus insistunt: eratque res digna pro tanta nobilitate, nec non & moderatione, spectaculo. Non enim quispiam in tanta multitudine, ac diuersitate generis, vt sæpe inter pauciſſimos, & notos contingere solet alicui aut læsionis, aut vituperii quidpiam inferre audebat. Sunt in his aliqua, quæ torneamentis videntur congruere. Sed videntur. Hinc illæ lacrimæ: hinc tot eruditorum lapsiones.

(f) Quod Caroli æuo cœptum est, instauratum ab Aucupe *Schubartus* existimat. Inde enim Witechindum scripsisse: *In exercitiis quoque ludi tanta eminentia superabat omnes, vt terrorem ceteris ostentaret.* Eadem fere *Vrspergensem* verba repetiisse. Cui si alius *Witechindi* locus addatur, in quo equestri prælio probatus miles Henrico attribuitur, rem fortasse prorsus confici. Vix enim mente militem probatum, ac armorum exercitiis corroboratum concipi posse, nisi simulatis præliis locus concedatur. Argumentum dissentientium præcipuum esse, quod a silentio scriptorum isti ætati supparium desumatur, quorum nullus disertim Aucupi hoc ἀγώνισμα tribuat: id autem leue sibi videri. Nam sufficere, eos verbis prope æquiualentibus rem suo æuo notissimam indicasse. Accedere, quod plerique historiarum auctores sacerdotes fuerint, qui tædio profani cultus talia reticuissent, ne apud posteros exercitationis tam sæuæ, ac Christianis abominandæ me-

moria refricaretur. Vid. Dissert. de Lud. equestr. cap. II. §. XIII.

(g) Confutauit quidem variis ratiociniis *Cangium* laudatissimus *Schubartus*; sed vereor, vt penetrent, eumque conuincant. Neque enim negat *Carolus*, neque nos quoque, militares exercitationes, atque imaginarias pugnas ante sæculum XI. inualuisse atque floruisse. Hoc vrget, inque eo adsertionis suæ præcipuum robur collocat, torneamenta tanto apparatu, tot solennibus, totque legibus celebrata veteribus esse incognita. In quo præclare sentit, ac opinatur. Quod si enim quæuis ludicra exercitatio torneamentum signat, ab Romanis sane huius rei origo arcessenda est, apud quos miles in media pace sine hoste decurrebat, & superuacuo sæpe labore lassabatur. At nemo est, qui in illa sæcula sese inferat, ibique torneamentorum natales quærat. Quare relinquitur, vt recentioris memoriæ sint. Iam vero cum in Chronico Turonensi *Gaufridus de Pruliaco* nominetur, qui *torneamenta inuenerit*, & apud Andegauum anno clɔlxvi. sit occisus, non adeo, credo, inepte coniectauit, hunc ista solennia ac iusta ludorum excogitasse primum. Addidit huic sententiæ nonnihil momenti *Ioannes Georgius Eccardus*† Historiarum in Academia Iulia, Professor, cum ex Matthæo Parisiensi, quem Cangius citabat, ostendit, eum torneamenta conflictus Gallicos † appellasse; & huic autem Radulphum Coggelshagensem in Chronico MS. sequentibus adstipulari: *Dum more Francorum cum hastis vel contis sese cursim equitantes vicissim impeterent.* Quibus Schubartus nihil, quod sciam obiecit, quam eius rei vestigia in veterum annalibus, ac Carolingica

† *De Vsu & P. Stud. Etym. n. VI.*

† *Ad a.* clɔccxxxix

iam

iam ætate reperiri. Nos autem conſtanter regeremus, torneamenta ab ludorum exercitiis eſſe prorſus diuerſa. Inde enim factum eſt, quare nemo *Ruxnero* fidem adhibuerit, qui ludos, quos Aucupi, & Ottonibus attribuit, opulentiores, inſtructioreſque fecit, ac delineauit, quam ſæculi illius mos, ac inaffectata ſimplicitas permittit. Ab Gallis ad Germanos, atque Anglos eiuſmodi apparatio peruenit. Nam cum nobili, ac antiquo genere nati tot bellis, atque præliis exhauſti impedire non poſſent, quin ciuici ordinis homines gladio equeſtri donarentur, ac militiæ cingulum acciperent; eo tamen omnes conniſi ſunt, ne quam ſemel obtinuerunt, prærogatiuam, miſti plebeiis, ac nouis hominibus ſociati, prorſus amitterent. Quamobrem eius generis ludos, atque ſocietates inſtituerunt, vbi non niſi veterrima proſapia fulgentes admitterentur; vnius, vel nullius imaginis hominibus penitus remotis ac repulſis. Quod, quam ſit probabile, aliæ conſuetudines firmant, quibus genere inſignes nouitios ab beneficiis arcere eccleſiaſticis ſtuduerunt. Interea circa vocem torneamenti nonnulla notabimus, quæ diſceptandi anſam eruditis dedit. Sicut enim *Carolus du Freſne* ipſam rem e Gallia tamquam natali ſolo deduxit; ita quoque vocabulum Francicæ eſſe originis ſcripſit: nam *tourner* vertere ſignat, in orbem agere, gyrare. Verumtamen demonſtrare conatus eſt Schubartus, vocabulum tourner non tam Gallicum, quam Teutonicum iam apud Paulum Diaconum † in illa palæſtræ militaris formula legi: *torna, torna, ſiue flecte curſum miles*, eoque clariſſime probari, quam parum iis credendum ſit, qui Gallicæ ſtirpi inſerant.

† *XVII. Hiſt. Miſcell. cap. XIII.*

rant. Sed prope eſt, vt huic demonſtrationi nihil tribuendum exiſtimemus. Tornare quippe latinum eſt, tornus, tornatilis; ſed retentum a Gallis, & communicatum denuo in hac cauſſa Germanis, atque Anglis. Vnde etiam *Otto Friſingenſis* hanc bellicam decurſionem non torneamentum, ſed turniamentum vulgo appellari monuit, Gallorum pronunciatione retenta, qui tourner, non torner, tournois, non tornois ſono ſibi conſueto enunciant, exprimuntque.

(h) Georgius Ruxnerus librum de torneamentis, quem inſcripſit: Thurnier-Buch / von Anfang / Urſachen / herkommen der Thurniere in H. Röm. Reich primum Francofurti edidit, a. cIↃ IↃLXXVI. forma maiori, ſed peſſima fide. Nam cum codicem antiquum Saxonico idiomate concinnatum Magdeburgi accepiſſet, in quo ludicrarum pugnarum in Germania catalogus legebatur, fecit is *Ioannis Kirchbergeri* opera, cuius amicitiam in aula Ioannis Bipontini Principis obtinuit, vt in noſtrum, hoc eſt, vulgarem ſermonem conuerteretur. Neque enim is linguæ Saxonicæ antiquæ gnarus erat, eamque ob cauſſam alterius auxilio maxime indigebat. Quod nemo forte vitio illi vertet. At hoc ſane tolerari neutiquam poteſt, quod MS. in flammas coniecerit, ne quis impoſturam, quam fecit, olfaceret. Quare enim concremaſſet librum, niſi ludificare lectores, & fumum iis vendere ſtatuiſſet. Verumtamen pauci nunc quidem reperiuntur, quibus deceptor non ſit ludibrio. Andreas Brunnerus † hic inprimis dilaudandus eſt, qui acri ſtilo illas commentitias leges, atque imaginariam pompam traduxit. In cuius iudicio nos etiam adquieſcimus, quamuis diſplicuerit aliis, ac nomi-

† *Virtut. ac fortun. Boicæ Part. II. Lib. II. n. IX.*

nominatim quidem Schubarto, ac Dieterico viris non contemnendæ eruditionis. Sed hi opinantur, illa equeſtrium pugnarum ſimulacra ſaltem Henrici æuo floruiſſe: quamquam auctorem eum, atque inuentorem negant. Et fuit, cum putarem, *Schubartum* ſolidis rationibus, atque argumentis Ieſuitam confutaſſe. Nunc aliter ſentio, poſteaquam militares exercitationes, quas nemo recte torneamenta dicet, ab illa ſpecioſa pompa, ac theatrali apparatu diſtinguendos eſſe euidentibus ſignis deprehendi. Itaque quæ de Henrici æuo in medium *Ruxnerus* tulit, liberali mendacio adſcribenda, nec magis vera ſunt, quam quæ de Herculis, aliorumque heroum factis mirandis fabulatur antiquitas. Interea neſcio, quid *Bohuſlao Balbino* † in mentem venerit, quando Ruxnerum a Meibomio, Fabricio, aliiſque Lutheranæ religioni addictis propterea contemni adfirmat, quod *Catholicus ſcriptor ſit, & Henrici pietatem erga DEI matrem mirifice commendet, quæ pietas apud hæreticos ſit venenum.* Quam enim cauſſam excogitabit, quæſo, quare Brunnerus Loioliticæ ſectæ addictus omnem Ruxnero fidem abrogauerit; ſi hæretici tantum hunc hominem odio proſequuntur? Sed extra oleas vagatur Ieſuita; & cum laruis pugnat, ac cauſſas ſibi, quæ nuſquam apparent, fingit. Præclare egiſſet Balbinus, ſi, quod commentitium in iſto libello videtur; claris, ac indubitatis teſtimoniis extra iuſtæ ſuſpicionis aleam conſtituiſſet.

† *Epitom. R. Bohem. p.* 24.

(i) Quæ Ruxnerus Teutonico ſermone, Franciſcus Modius Ictus Brugenſis in Pandectis triumphalibus a. cIↃ IↃ LXXXVI. Romano expreſſit, in hoc Ruxnero abſimilis, quod hic fraudis, ac impoſturæ

auctor exſiſtat: ille adſentator immodicus, ac inconditi operis male ſanus laudator. Nam qui eiuſcemodi neniis fidem tribuit, is ſane rerum patriarum inſcitiam, omniſque hiſtoriæ ignorantiam prodit plus ſatis. Et his tamen rebus tomum P. T. poſteriorem totum obſeruamus refertum.

(k) Id permittimus, eſſe in recentioribus nonnulla, quæ veritati videantur conſentanea: vetera omnia conficta ſunt, nec ſatis tamen colorata, fallacia, ac vaniſſime figurata. Eo reſpeximus, cum a nobis adfirmatum eſt, *Sagittarium*, quantumuis varia doctrina perunctum, non habuiſſe, quæ aliquam *Ruxneri* narratiunculis conciliare probabilitatis ſpeciem apta forent. Quin etiamnum dubitamus, vtrum nouiora quoque magnum *Ruxnero*, eiuſque adſeclis ſint adlatura gloriæ cumulum. Agnoſcunt & hic ſeniores ignota nomina, & aniculârum lucubratione vix digna commenta. Recenſuit equidem ex *Speidelio* Schubartus, quæ Nothaſtius Comes tuendis Ruxneri manibus ſpecioſa verba conſecrauerit, quæque ſit pollicitus ad Goldaſtum, Hundium, alioſque, qui ſycophantæ fraudes detexerunt, maſcule oppugnandos. Aſt metuo, ne aliquis exiſtimet, hunc illuſtriſſimum virum aliquid adfectui dediſſe. Ruxnerus namque haud raro ſimulatis, quas deſcripſit, pugnis Nothaſtios immiſcet, quod ad familiæ ſuæ ſplendorem atque decus is forte pertinere exiſtimauit.

† *Coſmodrom. ætat.* VI. c. XLVII.

(l) Meretur res, vt Gobelini † verba adferantur: *Et mandauit* (Henricus) *quod ſenior inter fratres quoſcumque deberet eſſe in exercitu Regis, & propter hoc ipſe ſolus tolleret patris exuuias, inter quas arma maxime reputabantur. Et inde vulgo Herewede adhuc nominantur.* Vocula Heerwette/

wette / Heergeräthe Anglo Saxonibus iam erat cognita. Vnde in chartis perantiquis Hereoti mentio iniicitur, aut Hærioti. Lambardus in Glossario apud Henricum Speelmannum *Hereotum*, inquit, *Saxonice Heregat vocabulum ab here, quod exercitum sonat, effictum, atque armamenta siue belli instrumenta significat.* Ergo non Henrici Aucupis æuo demum, sed aliquot abhinc sæculis apud Saxones ius ciuitatis obtinuit. At huic tamen tribuendus mos est, qui ad nostram vsque ætatem peruenit, vt militaris supellex vel filius natu maior, vel proximus agnatus præcipiat. Nam filius primum genitus in regni seruitio patri successit, aut deficientibus liberis is, qui propinqua agnatione defunctum contingebat. Rustici vero, sicut & sacerdotes, quoniam a militiæ cingulo repellebantur, ab hoc etiam armorum apparatu præsumendo ordinarie excluduntur; etiamsi natu maiores sint, aut agnati maxime propinqui. Quibus obseruatis haud difficile nunc erit intellectu, quare dubitatum sæpe, quid? quod disceptatum sit de rebus militari supellectili accensendis. Vt enim mores, atque tempora; ita arma mutantur; atque adeo aliam pleraque faciem induunt, quibus in bellis miles indiget, ac quæ itidem tuendo regendoque exercitui inseruiunt. Nostrum nunc non est designare vniuersa expeditionalibus rebus congruentia: hoc *Carpzouius*, aliique Doctores Saxonici præclare præstiterunt, vt dispositionem publica auctoritate hac de re editam prorsus omittam.

(m) Vt Geradam cum bellicorum instrumentorum congerie iungam Speculum Saxonicum facit, vbi Lib. III. art. XV. sequentia verba conspiciuntur:

Qui expeditorias res, hoc est, arma bellica postulet, agnatus ex parte gladii esse debet; ad vtensilia vero seu geradam cognatus, ex parte fusarii seu mulieris duntaxat admittitur. Etsi enim in lege familiæ iam apud *Burchardum Wormatiensem* legitur, *filio terras, filiæ autem vestimenta vna cum pecunia,* quam constante matrimonio adquisiuerunt parentes, relinquenda esse; non adeo clare apparet tamen, quod ius Geradæ vocant Saxones, quo vtensilia filia, aut quæ est cognatione cum defuncta coniuncta, iure sibi præcipui seruat. Et hoc autem in compensationem bellicæ supellectilis, vt & prædiorum, quæ maribus debentur, iustissima ratione videtur constitutum. Bene monuit *Ioannes Schilterus*, Carpzouium rem quidem satis curate in definitionibus, quas scripsit, proposuisse, atque illustrasse; sed omisisse interea fontium indicia, quæ caussis sæpe, atque hominum negotiis maiorem lucem præferunt, quam rationes minus apposite congestæ, ac coagmentatæ. Quod si enim certo cognoscimus, quare femina militaribus rebus sit exuta; intelligemus etiam, quamobrem ceteris vtensilibus exutus sit miles, sit etiam vir, atque maritus. Vanescent quoque, quæ supersunt in conclusionibus tenebræ, quodque non satis explorate perceptum est, sine vlla dubitatione addiscetur. Nam vt castrensia bona ad solos agnatos perueniunt, nec adimi illis regulariter possunt; ita quæ vsui quotidiano in familia atque domo inseruiunt, solis feminis atque cognatis tributa sunt. Ergo nec donari, nec vendi, nec testamento relinqui, nec transferri quoque ad extraneos tam inter viuos, quam mortuos recte possunt. Nec obest, donari hodie geradam

inter

inter viuos, transferri pro lubitu, dummodo ne sit maritus, cui tamen vili pretio liceat vendere. Hoc enim inuito patrio iure Doctores in mores inuexerunt, quemadmodum *Schilterus* in Exercitatione XLIII. §. XIV. præclare iam obseruauit ad Pandectas. *Quare*, inquit, *quod hoc iure vtamur, vt donari gerada possit, ex* TRADITIONE INTERPRETVM *ortum, & ius geradæ imminutum fuit.* Sed quod tamen per vltimam voluntatem transferri hodienum nequeat, facile est ad diuinandum. Neque enim Saxones rem testamentariam agnouerunt; quo etiam mortis caussa donationes quadantenus retulerunt. Et quamuis nouo more atque exemplo etiam testamenti factiones in forum irruperint, non poterat tamen Romana ita opprimere patriam iurisprudentiam, aut allicere Saxones, vt iuri, quod semel habuerunt, atque gustarunt, sine ratione renunciarent. Itaque deficiente cognata vtensilia fisco potius, quam agnatis debentur, sicuti res expeditoriæ viciſſim non exsistente agnato superiorum arbitrio atque potestati subiiciuntur. Ex quo simul, licet, colligas, quare inter rusticos dispositio de gerada non valeat, si ad regulam respiciatur. Nam vt supellectilis militaris participes non fiunt; quod a militia repellebantur: ita ab vtensilibus capessendis prohibentur mancipia, atque seruæ, quibus, quod vel caperent, vel præciperent, nihil olim supererat.

§. XXII.

Ordinato, vt diximus, exercitio, videndum nunc erat, quid ferrent humeri, & an ille ad laborandum, decurrendum, portandum pondus, & solem, puluerem-

que tolerandum bene aptus foret. Omne enim difficile videtur opus antequam tentes, quodque adsidua meditatione comprehensum est, experiaris. Itaque quærebatur hostis, quæsituſque in Slauis, seu Venedis (n) inueniebatur. Hi namque cum Hungaris (o) haud raro in Christianorum ac Saxonum inprimis exitium conspirabant; hi transitum dabant, vt qui multis itinerum mensuris (p) ab his oris remoti erant, in ripa Salæ, vel etiam Albis starent, hisque fluminibus transmissis in Saxoniæ fines concitato impetu victores se vndique inueherent. In hos, ac nominatim quidem Heuellos primum irruisse Henricum Witechindus (q) auctor est; sæuiente hieme, castris in glacie positis, cum nihil hostile præsagientes securi agerent inimici, nec contra famis anguſtias sibi satis prospexissent. Castrum, in quo præcipuum fiduciæ robur collocabant, Brennaburg vocabatur, seu potius Brannybor/ quod Slauica lingua siluæ custodiam sonat (r). Id natura munitum erat, atque arte, paludosa terra vndiquaque circumdatum, cuius propterea expugnatio difficilis apparebat, nisi omnia gelu rigerent, atque torpescerent. Ea ratione a. Ɔccccxxviii. (s) oppidum alias inacceſſum, valliſque obiectis clausum ferro, frigore, fame, captum est, vna cum regione vniuersa, quam Heuelli multototies cæsi, fugatique hactenus incoluerant. Sunt qui Marchionem Brandenburgicum (t) seu Vandalicum iisdem enatum temporibus opinantur: sed prohibent multa, vt adsensum præbeamus. Nam etsi de Marchione Sigfrido vix dubitamus, vt quem in veterum annalibus clare reperimus; certi tamen sumus, ac pro comperto tenemus, eum nec Comitem fuisse Ringelhei-

gelheimenſem (u); nec ante Alberti Vrſi ætatem Brandenburgici (x) cognomen vmquam eſſe cognitum, atque auditum.

(n) Sarmatas iam Tacitus Germanis veluti proximos oppoſuit per Aſiam, Europamque dominantes, ſed qui ſub Venedorum, ac Slauorum nomine demum innoteſcentes vacuas Marcomannorum, ac Boiorum, Vandalorum, & Sueuorum ſedes occuparunt, ac quidquid a mari ſeptentrionali ad Albim, quid? quod ad Salam vſque Thuringicam protenditur, longe lateque tenuerunt. Venedorum iam Ptolomæus Geographus mentionem iniicit: Κατέχει τὴν Σαρματίαν ἔθνη μέγιστα οἱ δὲ Ουένεδαι παρ' ὅλον τὸν Ουενεδικὸν κόλπον. *Tenent Sarmatiam gentes maximæ Venedi per totum ſinum Venedicum.* Iornandes Winidas vocat, ſiue Vinidas, quod nomen in horum diſperſis ſucceſſoribus die Wenden dictis integrum etiam nunc ſeruatur †. Hos Gothicus ſcriptor cum *Procopio de bello Gothico* in Antes & Slauinos diuidit, eoſque trans Viſtulam, vbi Polonorum rempublicam eſloruiſſe videmus, collocat. Vnde quæſitum eſt, †† quinam Antes? an diuerſi a Winidis? Et oſtendit nuper argumentis admodum veriſimilibus Cl. Leibnitius †† *Antes & Wendos, ſeu Winidos ſola pronunciatione differre littera w, vt paſſim fit, quæ prima nunc præpoſita, nunc omiſſa.* Vt illa verba, *vt paſſim fit*, bene intelligat lector, adſcribam egregium locum ex Bernhardi Lamii arte loquendi *, qui pluribus in hanc rem meditationibus viam ſtrauit: *Chaque peuple a ſes manieres de prononcer ſelon la qualité du climat. Ceux du Nort ſont portez à ſe ſeruir de mots compoſez de conſonnes fortes*

† *Vid. Celarii Geogr. Ant. P. I. p. 488.*

†† *In diſſert. de Originibus gentium, p. 61.*

* *L'art de parler Liv. I. chap. XIII. p. 61.*

fortes qui ſe prononcent du fond du goſier. Les Saxons changent les conſonnes, que les Grammairiens appellent tenues dans les moiennes, & celles-cy en aſpirées: ainſi aux lieux de bibimus, ils prononcent pipimus, pour bonum ils diſent ponum, pour vinum, finum. Il y a des Nations entieres, qui ne peuvent prononcer de certaines lettres; comme les Ephraimites ne pouvoient prononcer le ſchin des Hebreux, & pour Schibboleth, ils diſoient ſibboleth. Les Gaſcons & les Eſpagnols n'aiment point la lettre F. Ceux-cy diſent harina pour farina, habluare pour fabulare, les Gaſcons diſent hille pour fille. C'eſt ce qui fait que chaque Nation déguiſe tellement les mots, qu'elle emprunte d'une langue étrangere, qu'on ne les reconnoît plus. Slauorum nomen ſerius eſſe auditum, quam Venedorum, viri docti obſeruarunt. Neque enim ante *Procopium* quiſquam Sclauinos memorat. Venedici Scriptores ægre vocem *ſclauini* ferunt, in quibus Balbinus † auctor non ſpernendus. *Ob familiarum*, inquit, *celebritatem & multitudinem nobilitatis (nam plerique nobili genere oriti erant) Slowacos ſe vel Slawacos, id eſt, nominatos, & glorioſos vocarunt. Itali corrupte, eorumque imitatione quidam imperiti Sclauos dicere maluerunt, vt Cromerus demonſtrat.* Verumtamen an Slaui a Winidis diſparandi, itidem ambiguum eſt. Ego habitationis locis diſcretos autumo. Nam Slaui, *Procopio* (†) teſte circa Iſtrum conſederunt: Venedi autem vt Iornandes †† animaduertit, Viſtulæ propinquiores fuerunt, cetera moribus, lingua, habitu ſibi ſimiles. De Vandalis atque Venedis multum inter ſe diſiunctis ſuperſedeo dicere; quoniam de errore

† *Rer. Bohem. Epit. Lib. I. c. X.*

(†) *De Bello Goth. Lib. III. cap. XIII.*

†† *De Gothor. Rebus cap. V.*

errore vulgari iam plures ante me occœperunt differere; quo discretæ moribus atque locis gentes miscentur, ac confunduntur. Hoc addo, fuisse non neminem, qui Gensericum Vandalorum Ducem pro Slauo habuerit, a nomine argumentum ducens. Sed intellexi ex hac caussa, eum feciſſe intelligendo, vt nihil intelligat. Nam Genſericus corruptum est, reponendumque Geselricus, quod Grotio adnotante † idem est, ac Geſelreich/ comitibus pollens. Et fac, *Genſericus* legi debere, non habebis tamen Slauicum sed Teutonicum gantz reich/ plane pollens. Ceterum non abnuo Vandalis se Venedos nonnumquam sociasse, vt his isti. (o) Iunxit olim Procopius de Bello Gothico Lib. I. c. XXVII. Sclauenos Hunnis: καὶ αὐτῶν οἱ πλεῖστοι Οὖννοί τε ἦσαν, καὶ Σκλαβηνοὶ, καὶ Ἄνται: οἱ ὑπὲρ ποταμὸν Ἴστρον ἀ μακρὰν τῆς ἐκείνη ὄχθη ἱδρυνται. 590. *Et eorum plerique Hunni erant, & Sclaueni, & Antæ: qui trans fluuium Istrum non procul a ripa sedes patrias habent.* Vnde multi Slauos atque Hunnos eosdem reputarunt: quamquam certum est, fuisse dispares. Non enim lex, non mos, non lingua communis; alius habitus, alia vestis, alii prope Dii erant. Eruditus Leibnitius id de Hungaris concedit; Hunnos autem Slauorum progeniem existimat. Sed cum supra Hunnos & Hungaros consentaneos sibi ac cohærentes ostenderimus, etiam Hunnos a Venedis merito discernimus. At non repugnamus, habitasse Slauos cum Hunnis vna, aut, quod aliis placet, fœdere inæquali olim fuisse cum Attila connexos. Ex quo cognosci potest, quare in Attilæ historia nonnullæ Slauicæ voces occurrant. Nam in expeditionibus, quas susceپit, ingens quoque Slauo-

† *In Lexico vocab. Gothic. Vandal. Langob. quod H. G. V. Procopii adiecit p.*

rum multitudo reperitur. Nunc tantum quæritur, an Slaui, & Hunni vna gens fuerint, vnius idiomatis populus? Et fateor, nonnihil dubitationis mihi ſubnatum eſſe, cum viderem, vocem *Chunni* Sarmatica lingua equitem exprimere. Sed in viam me reduxit *Franciſcus Foris Otrokoſki* eruditus Hungarus, qui in Originibus, quas dedit, Hungaricis † clare oſtendit, Hunnyo, ſiue Kunnyo tugurium, ſeu tentorium lingua patria ſonare; Hunnoſque, ſeu Chunnos ita eſſe dictos, quod in tuguriis potius, quam oppidis, atque ædibus bene firmatis, paratiſque habitarent. Ac minime proinde mirandum eſt, eos incenſis ſæpe domunculis aliorſum migraſſe. Suſpicor, ob hanc cauſſam a Symoccatta Hunniguros, ſeu Hunnigaros, eſſe appellatos. Nam *iar* apud Hungaros hodienum idem eſt, quod *ambulat*: & Turcæ Hungariam *Mag-iar* vocant, quod ab Hebraico גור peregrinatus eſt, non ſine ſpecie repetit laudatus Otrokoſky. Sicut itaque Vandali a teutonico wandeln/ ac Sueui quaſi ſchwebende ſeu ſchweiffende dicti ſunt; ita forte Hunnigari ſuo idiomate, quod ſemper mobiles, atque inſtabiles, idem ſibi δῆγμα attribuerunt. De cetero nequaquam, vt diximus, inficiamur, infinitum pæne Slauorum numerum, Raſcios puta, Seruios, Croatos, Ziculos permiſtim cum Hungaris in Pannonia tam inferiore, quam ſuperiore habitaſſe, eoque haud difficulter intelligi putamus, quomodo Hungari tot Venedicis nationibus fœderati ſocietatem cum Slauis in Germania degentibus iungere, iunctamque renouare, ac conſeruare perpetuo in maiorum noſtrorum perniciem potuerint.

† *Part. I. p. 328.*

(p) Separabat Hungaros a Germaniæ finibus Arrabo fluuius,

fluuius, posteaquam Carolus M. partem Pannoniæ, quæ Austria dicitur, Hunnis detractam Bauariæ adiecisset. Itaque vltra centesimum lapidem hi barbari ab Saxonia disiungebantur; in quam tamen equestri sæpe procella Slauorum sese auxilio infuderant; vt ibi prædas agerent, ac nudatam vrbibus prouinciam inaudita rapacitate depopularentur.

(q) *Tali*, inquit Corbeiensis, *lege ac disciplina cum ciues adsuefaceret, repente irruit super Sclauos, qui dicuntur Heuelli, & multis eos præliis fatigans demum hieme asperrima castris supra glaciem positis, cepit vrbem, quæ dicitur Brennaburg, fame, ferro, frigore, cumque illa vrbe potitus & omni regione* &c. Heuelli itaque haud dubie ab Hauela Marchiæ flumine nomen acceperunt, quod *Annales Fuldenses* ad annum IↃↃCLXXXIX. Habolam appellarunt. Notus etiam nunc tractus est, quem vocant das Havelland; eoque falsum videtur, quod nonnulli obseruant, nomen vna cum ipsa gente vetustate deletum esse. Similia fere cum *Witechindo* scriptor Bohemus *Pulkawa* de Heuellorum clade enarrat; eamque in rem *Chronicon Martinianum*, atque *Historiam Brandenburgensem* allegat, quam sibi Carolus IV. Imperator ex Brandenburgicis terris redux dono dedisset. Optandum foret omnino, vt hæc Brandenburgensis historia in MS. alicubi delitescens publicæ luci exponeretur: forte multa innotescerent, quæ hactenus incomperta, aut saltem incerta apparuerunt.

(r) Hoc me docuit Ignatianæ scholæ socius *Bohuslaus Balbinus* in Epitome Historica rerum Bohemicarum, qui, cum hanc in Heuellos expeditionem

memoraſſet, ſequentia in notis ad Lib. I. cap. VII. p. 23. ſubiicit: *Brandenburgi vrbs a Slauis eo tempore Branny Bor (id eſt, ſiluæ cuſtodia) dicebatur.* BRONIC enim Polonis, ac BRANNITI Bohemis cuſtodire, defendere, ſicuti BOR ſiluam notat. Quæ nominis deriuatio multo veriſimilior, atque ſanior eſt, quam cum hanc vrbem Brenni ſedem ſeu caſtrum nominant, de quo Græcorum, ac Romanorum varia, itemque ſingularia recenſent annales: aut a Brandone Francorum Principe origines eiuſdem repetunt; cuius nomen non niſi ineptus *Hunnibaldus*, aut alius forte ſcriptor æque lutulentus faſtis ſuis inſeruit. Neque enim vero conſentaneum eſt, Brennum vmquam in Germaniam magnam penetraſſe: tantum abeſt, vt adſeuerari queat, eum hoc caſtellum e fundamentis excitaſſe. Sed ſunt tamen haud pauci, qui huic etymologiæ mordicus adhæreſcunt, & cum *Georgio Sabino*, cuius de Brandenburgo metropoli Marchiæ Commentarii ſatis celebres ſunt, atque cogniti, hodienum pro illa certant. Quorum rationes neque magni facimus, neque timemus. Noſtræ opinioni nihil magis contrarium eſt, quam quod Polonici adferunt ſcriptores, qui Brandenburgi vocabulum non tam pro Slauico venditant, quam Teutonico. Nam Slaui, inquiunt, *Zgorzelec* appellarunt, quod occupatum Germani in Brandenburgum, ſeu Brennaburgum demum mutauerint. Eam originem cum clariſſimus Sagittarius† ex Hartknochii Commentariis de Republica Polonica recenſuiſſet, conqueſtus eſt, Venedicæ vocis explicationem ab illo prorſus eſſe omiſſam: ignotum quippe manere, quid ſibi velit obſcurum *Zgorzelec*. At lucem adfu-

† *Diſſert. de March. Brandenb. §. 1.*

adfudit in noua editione Hartknochius, oſtenditque *Zgorzec* Polonis ſonare deflagrare, & *Zgorzelec* locum, qui deflagrauit. Atque ea ratione eſſe factum, vt Poloni exiſtimarent, munimento tam celebri in Saxonum poteſtatem redacto, Brandenburgi nomen adhæſiſſe. Quæ omnia, cum ſine Annalium fide, ac veterum teſtimoniis diſputantur, ad veritatem eſſe videntur propenſa; tametſi experimentum accuratæ probationis non ſuſtineant. Quis namque præter Polonos Brandenburgicam ciuitatem *Zgorzelec* vocauit? At horum ſcriptores nimis recentes ſunt, vt Witechindo, aliorumque, qui Aucupi ſuppares ſunt, auctoritati opponi, ac obiici queant. Vix enim Poloni, ac Bohemi Hiſtoriarum auctorem habent, qui Henrici IV. ætatem vel ſuperet, vel in illa tempora congruat. Ergo ſic puto: Polonos potius Brandenburgum Teutonicæ originis putantes Slauico idiomate *Zgorzelec* dixiſſe. Nos autem iam quærimus, an Henrici A. æuo, & ante illud tali nomine ſit notatum?

(ſ) Chronographus Saxo Leibnitianus a. Ɔcccxxvi. ſignat: ſed multæ ſunt coniecturæ, quibus adducor, eum biennio huius rei euentum anticipaſſe. Sane *Hermannus Contractus* expeditionem in Bohemos a. Ɔcccxxx. refert, cum tamen hi poſt Heuellos atque Dalemincios ſub iugum ſint miſſi.

(t) Loquuntur multi tanta de his rebus fiducia, ac ſi ſuis omnia oculis vidiſſent, & totam vno halitu Vandaliam poſtliminio Germaniæ reſtitutam clariſſimis argumentis cognouiſſent. Ibi enim non Marchionem tantum, verum etiam Ducem ſurrexiſſe aiunt, qui rationes a Saxonia ſeparatas habuerit, ac Vandalorum antiquam prouinciam,

quemadmodum Giſelbertus Lotharingiam, Eberhardus Franciam, Burchardus Sueuiam, Bauariam Arnulphus, ac ipſe tandem Henricus Saxoniam rexerit. In quo, vt ne deciperentur valde optarem. Non enim obſtinati adeo ingenii ſum, vt, quam alii inuenerunt, veritatem oppugnare, quam amplecti malim. At nemo mihi vertet vitio, ſi, priuſquam adſentiam, teſtimonia deſiderem, ac probationes paullulum clariores efflagitem. Vbi-ubi enim talia, quæſo, leguntur? quis Vandalorum mentionem fecit, qui aliquod abhinc ſæculis ex his terris emigrantes maxima ſui parte aliorſum conceſſerunt? Is demum vir erit, qui Vandaliæ fines atque terminos exacte deſignabit. Credo, Hugonem Grotium prope a veritate abeſſe, qui Sueuos atque Vandalos pro vna eademque gente venditat. Nam quos hi Vandalos die Wandlende / alii Sueuos die Schweiffende / oder Schwebende ab antiquo appellarunt. Iam vero cum exploratum ſit, Vandalos ſeu Sueuos Balthici maris oram longe lateque tenuiſſe; hincque a Plinio†in Burgundiones, Varinos, Carinos, & Guttones fuiſſe diſtributos; diſcere nunc quidem cupio, quomodo, Brennaburgo expugnato, occupataque Heuellorum terra ac aliis Venedicis quibusdam nationibus tributariis factis, tota ad Germaniæ obſequium reducta Vandalia ſit, quæ in Liuoniam vſque excurrit? Quod ſi pars Vandaliæ, ſeu Sueuiæ antiquæ ab Henrico ſubacta diceretur, promtius forte adſenſum præberem. Ne obſtupeſcas, quando Sueuiam cum Vandalia a me animaduertis coniungi. Nam qui ad vtramque Viadri ripam, itemque ad Hauelam, Spream, atque adeo per Marchiam tranſalbinam vſque in Pomeraniam

† *Hiſt. Nat. L. IV. cap. XIV.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [170] - 158
PUBLIC DOMAIN

raniam habitarunt Sennonum nomen gesserunt. Sennones autem, Tacito teste, Sueuorum portio fuerunt, sed quos eo in veterum monumentis loco inuenimus, qui magno ab aliis nisu Vandalis attribuitur, argumento perquam insigni, Vandalorum atque Sueuorum gentem non re, sed nominis tantum sono variasse. Interea iurarem, Henricum Regem vtpote inter armorum strepitus eductum, ignorasse cum suis admodum secure, quæ Vandalorum atque Sueuorum pristinæ sedes fuerint, qui tractus, quos iidem occupassent, vel etiam deseruissent. Tantum abest, vt vetustate abolitam prouinciam, ac obliuioni diu mandatam reuocasse, ac corpori regni teutonici agglutinasse sit credendus. Quo enim consilio istud foret factum vix comprehendo. Effluxerant sane quadringenti minimum anni, cum Heruli, Rugi, Sueui, Vandali suis exciti sedibus patriam alieno solo commutarunt, & noua domicilia, nouam fortunam petere, ac experiri statuerunt. In horum vacuas terras Venedi atque Slaui immigrarunt, impositio vereribus colonis iugo, quorum numerum tot profectiones ac migrationes valde imminuerant. Ne denuo miretur lector, me etiam Herulos Vandalorum genti adscribere. Est enim nunc plane indubitatum, & hanc nationem cum Sueuis atque Vandalis esse iungendam. Cernitur hodienum iuxta Brandenburgicam ciuitatem der Heerlungerberg / de quo inepte a quibusdam memoriæ proditum est, hunc montem ab Harlingis (*) denominationem accepisse, quos Carolus M. ex Alsatia euocatos eo loco collocasset. Tu, si sapis, heic Herulos agnosce vetustum populum, Vandalorum subolem, orbi, ac Romanorum æterno impe-

imperio formidabilem. Hæc enim omnia prænotanda, atque in memoriam redigenda ſunt; vt intelligatur, totam Vandaliam ſeu Sueuiam tam late patentem ab Aucupe non fuiſſe deuictam; multo minus in peculiarem prouinciam noue erectam. Diu erat, cum Franci itemque Germani has antiquas fabulas voluntaria obliuione contriuerunt, parum penſi habentes, quis Venedorum terras antiquitus incoluiſſet. Quare magis eſt, vt credamus, Henricum præſentibus circumſpectis negleXiſſe vetera, incerta, atque etiam nunc minus euidentia. Quod ſi Carolo M. eiuſque poſteris reductæ Vandaliæ gloria attribueretur; vt qui, Eginharto auctore, Slauorum quaſcumque nationes ac gentes tributarias ſibi reddidit; aliquid ſane adfirmaretur, quod ad veritatem propius accederet; quam cum Henrico Vandalici titulus adfigitur, quia Slauos coercuit, ac ne nocere Saxoniæ poſſint, præfectos in limite conſtituit. Sed ſcio erroris natales, ac totam, quaſi γενεαλογίαν mente delineatam ſeruo, de qua forte alias paullo curioſius diſſeram. Iam, exploſa eorum opinione, qui Henricum Marchiones primo ſtabiliuiſſe ſomniant, obſeruari velim, non deleuiſſe Aucupem barbaras, quas ſubegit, nationes, nec excidiſſe funditus. Tantum munitiones, caſtella, ac oppida vallata ademit, vel noua conſtruxit, ne Hungaris per Venedos aditus in Saxoniam pateret; vel etiam Slauis anſa relinqueretur, turbandi prouinciam, in qua chriſtiana religio maiores indies auctus caperet, pluresque eccleſiæ efloreſcerent. Quamobrem non vnum Marchionem conſtituit, ſed plures, quibus Ducum nonnumquam titulus adhæſit, quod exercitibus præerant;

erant, ac militaris virtutis fama conſpecti efficiebantur.

(*) Ergo Harlingi ſunt Heruli, quorum veſtigia ſicuti in Mecklenburgenſi tractu in Werlenſi Principatu ſuperant; ita quoque in Marchia neutiquam ſunt extincta. Miramur, nec Meibomium, nec etiam Paullinum pagum *Derlingen*, ſiue *Derlingou*, *Darlingou* in vicinia Brandenburgicæ ciuitatis inueniſſe; vbi mons Arlungorum, Harlungorum, Herlungorum, Erulorum hodienum conſpicitur; rerumque antiquarum memoriam excitat. Taceo, haud procul Brandenburgo *Veltheim* comparere; quod Diploma Ottonis Magni in pago Darlingen collocat, eoque circumſcribit. Addam coniecturam forte non adeo abſonam. Quid enim? an Hauola olim appellata fuit Harola, Arola, Heuelli, Herelli, Heruli, Etuli? Et credam. Helmoldus ſane rerum Slavicarum peritiſſimus ad eam, quam propono, me opinionem adduxit: *Sunt*, inquit Lib. I. *& alii Slauorum populi, qui inter Albiam & Odoram degunt, longoque ſinu ad auſtrum protenduntur, ſicut Heruli vel Heueldi qui ſunt iuxta Habolam fluuium.* Cui non obeſt, quod afferunt: Ea ratione Herulos Teutonicæ originis commiſceri cum Heuellis Slauis. Facile enim repono, Heuellos, quos Henricus Auceps deuicit, fuiſſe Venedos, quantumuis nomen a fluuio acceperint; quemadmodum Tollenzi ab amne eiuſdem nominis; aut Dalemincii ab flumine Kamenzi. Quod ſi namque certum eſt, Vandalos olim in Marchia Brandenburgenſi ſedes ſuas atque fortunas conſtituiſſe; idem profecto de Herulis erit adfirmandum: veteres quippe Vandalos cum Herulis coniungunt. Quod vt intelligatur Claudium Mamertinum appello, qui in Panegyrico Maximini cap. V. *Quod vero*, inquit, *ſtatim vixdum miſero illo furore ſopito, cum omnes barbaræ nationes excidium vniuerſæ Galliæ minarentur, neque ſolum Burgundiones & Alamanni, ſed etiam Chaibones Erulique, viribus primi barbarorum, locis vltimi, præcipiti impetu in has prouincias irruiſſent, quis DEus tam inſperatam ſalutem nobis attuliſſet, niſi tu adfuiſſes?*

(u) Hic eſt ille Sigfridus, de quo tam variæ in Chronicis libellis concertationes exſtant. Id certum

est, fuisse eum Regis in Saxonia legatum, eaque auctoritate ornatum, qua post illum Gero Marchio redimitus fruebatur. Vt ita colligam, Ditmarus Merseburgensis facit, qui Lib. II. circa initium: *discordia quoque*, inquit, *inter conciues, consocioſque oritur non minima, quæ Tammonem Regis & Hadwidæ concitauit filium, eo quod* LEGATIO SIFRIDI COMITIS MERSEBURGENSIS, *quam sibi idem vendicauerat Geroni sit tradita Marchioni, hereditasque materna sit ei prorsus sublata &c.* Nullum in his verbis Marchiæ Brandenburgicæ vestigium reperitur; quamquam Marchionis, quo fungebatur munus inde quadantenus eluceat. Ceterum non nego, fuisse inter Comites Saxoniæ præcipuum, quod Corbeiensis Monachi testimonio ad liquidum perducitur: *Sifridus*, ait, *Saxonum optimus, & a Rege secundus, gener quondam Regis, tunc vero affinitate coniunctus Saxoniam procurabat, ne qua hostium interim irruptio accidisset* &c. Hæc singula indicio sunt, Sigfridum Saxoniæ potius, quam Vandaliæ Marchionem esse nominandum; vt cuius nec reapse commeminit scriptorum quisquam, nec cogitatio fortasseau incidit. Distributionem prouinciarum, qua quidam nunc personant libelli, nemo id temporis animo tractauit; nemo circumspexit, nemo etiam armorum furore vndique strepente, volutare in mente probabiliter potuit. Qua propter eorum semper opinio maximam mihi admirationem mouit, qui Sigfridum Marchionem Brandenburgicum primum libera voce pronunciarunt, eumque Mathildæ reginæ fratrem ac Ringelheimensem Comitem virili ausu in vulgus disseminarunt. Quomodo enim is Mathildæ Reginæ dici potest germanus,

nus, qui, vt locus *Ditmari* peruincit, Comitis Merſeburgenſis titulo decoratur. Hoc fere induſtrio Sagittario in illa, quam de Brandenburgenſibus Marchionibus conſcripſit, diſſertatione ſuboluit, imprimis cum a Witechindo eo illum loco cerneret omiſſum, vbi de genere ac conſanguineis Mathildæ ex profeſſo egerat. Sed retinuit tamen is nouitiorum auctorum ſuffragiis validam opinionem. Illud certo conſtat, fuiſſe Sigfridum Henrico propinquitatis quodam vinculo per Hadwidam primam vxorem coniunctum; quod non tantum Merſeburgenſis Præſulis, verum etiam Witechindi cumprimis verba probant, quæ veritatis detegendæ gratia huc tranſcribo: *Illo quoque tempore defunctus eſt Sifridus Comes, cuius ditionem cum ſibi vindicaſſet Thancmarus, eo quod propinquus ei eſſet (nam mater filia materteræ erat Sifridi, de qua genuit Henricus Thancmarum) & regali dono ceſſiſſet Geroni Comiti, afflictus eſt Thancmarus triſtitia magna.* Ex quo initia erroris facile puto apparere. Nam cum ſcriptores nuperi Sigfridum Aucupis adfinitati per vxorem innexum intellexiſſent, ſtatim induxerunt animum, eſſe hunc Mathildæ fratrem, inprimis quod *Regis olim generum* idem Corbeienſis dixerat. Quod quam a veritate alienum ſit, ſchema a me confectum oſtendit.

N.... ---- N.... vxor Erwini Comitis Altstättensis.

Sigfridus Comes Merseburgensis, itemque Marchio — Hadwida vxor Henrici Aucupis

Tancmarus.

Ceterum subnatum mihi dubium esse non diffiteor, qua ratione *Witechindus* eum, qui Henrico per consobrinam adfinitate erat deuinctus, appellare potuerit generum ? Hæc enim vox vel filiæ maritum signat, vel sororis. At neque hoc, neque illo principe significatu Sigfridus Henrici gener fuit. Igitur hæsitaui parumper, donec Iacobus Cuiacius elabendi occasionem ostendit. Sæpe namque, vt ex Comicis ille † obseruat, consobrini absolute fratres dicuntur, ac consobrinæ itidem sorores. Iam vero sororum mariti stilo non mediæ tantum, verum etiam aureæ interdum ætatis generi nomine insigniuntur. Proinde mirum non est, Sigfridum istiusmodi nomen a Witechindo tulisse. Nec obest, cum ais, Henrico hoc pacto, non autem Sigfrido generi notam esse apponendam. Facile enim regero, nomina cognationum & affinitatum ab auctoribus non ICtis haud raro confundi, quod ex Alberico Gentili iamdudum animaduertit *Matthias Berneggerus* †. Idem tamen vir doctus Iethron socerum Mosis a *Cedreno* scriptore Græco πενθερὸν ἢ γαμβρὸν appellatum probat, simulac ostendit, eum, qui vxorem alteri dat, aut filiam aut sororem in veterum monumentis sæpe generi cognomento donari.

† *Obseruat. l. VI. XVI.*

† *In not. ad Iustin. Lib. XVIII. cap. IV. n. 9.*

nari. Prope igitur abeſt vt dicam, Sigfridum *Regis olim generum* a Witechindo deſignari, quod huic ille Hadwidam conſobrinam in matrimonio collocauerit: conſobrinam inquam, quam mediæ ætatis ſtilus ſororem admodum frequenter nominat. Quæ cum ita ſint, elucet nunc ſane, Sigfridum nec fratrem Mathildæ, nec Ringelheimenſem, ſeu Aldenburgenſem Comitem fuiſſe. Similiter dubium valde eſt, an Sigfridus Magdalenæ Aſcaniæ, quæ patrem Albertum III. habuerit, maritus ſit dicendus. Nemo enim præter *Poppenrodium*, Anhaltinos, ac Marchicos ſcriptores nouitios de hoc coniugio adnotauit quidquam. Id certum eſt, illam Magdalenam Geroni Marchioni nupſiſſe: vtrum vero Sigfridi Coniux, vt putant, fuerit primo, in medio tam diu relinquimus donec clarioribus indiciis rem totam comperiamus. Vide interea Becmanni Hiſtoriam Anhaltinam part. V. Lib. I. cap. III. n. IIX.

(x) Animaduertes *Saxoniæ Marchionem* nobiliſſimum†: obſeruabis *Marchiones ſeptentrionales*††; *Marchiones* vtplurimum abſolute, ſine additiuncula: obuiam habebis ſub Ottone III. Dietericum *Epiſcopatus Brandenburgenſis defenſorem* †*: *Marchionem Brandenburgicum* non inuenies, niſi cum Albertus Vrſus Conradi Marchionis portionem cum Marchia, quam Soltwedelenſem vulgo appellant, Lotharii ac Conradi III. Regum auſpiciis coniunxit, ſimulque Pribiſlaus Brandenburgicam ciuitatem Chriſtianis ademtam Alberto Aſcanio moriens reliquit. Bina diplomata Conradi III. *Nicolaus Schatenus* ††* exhibet, quorum alterum a. cIↃCXLII, alterum a. cIↃCXLVI. emanauerat: priori Albertus vt Marchio ſubſcripſit, in poſtremo

† *Ap. Ottonem Friſingenſem de R. G. Friderici I. cap. XXI.*

†† *Chronographus Sax. ad a. 1130.*

†* *Ditm. Merſeb. Lib. III.*

††* *In Annal. Paderborn. Tom. I. p. 763. & 771.*

mo Brandenburgenſis cognomentum adſumſit: ante hunc annum non memini Brandenburgenſis voculam vſquam eſſe adiectam. Interea dubitarunt nonnulli, vtrum a Pribiſlao Albertus Brandenburgum acceperit. Solum enim Brotuſium, aut forte Marchicum recentioris ætatis ſcriptorem talia tradidiſſe ſibi perſuaſerant. Sed res ex *Chronici Brandenburgenſis Fragmento*, quod Ioachimus Ioannes Maderus publicauit, certa eſt: cui *Pulkawa* Bohemus hiſtoriarum auctor calculum adiicit, MS. quod Carolus IV. ſibi donauerat, perantiquo confiſus. Vid. Balbini Epitom. Rer. Bohemicar. p. 236.

§. XXIII.

Brennaburgo feliciter capto in Dalemincios ira Regis exarſit; quos iuuenis olim viuo patre debellauerat (y); ſed qui maioribus nunc viribus oppugnati variiſque præliis preſſi munitiſſimam, quam tenuerunt, ciuitatem Ianam (z) nomine amiſerunt, interfectis, qui bello gerendo, armiſque ferendis idonei videbantur. Non dubium eſt, quin Marchio hoc tempore prouinciæ ſub iugum miſſæ ſit præfectus, qui ſequiori demum ævo ſub Miſnenſis cognomento innotuit. Cuius rei originem quemadmodum omnium optime Ditmarus (a) exponit; ita exinde ſua potiſſimum Albinus, Fabricius, ceterique ſcriptores Miſnici; ac Saxonici omnes depromunt. Sed caue, ne amplos adeo Miſniæ terminos circumponas, quam hodie animaduertis. Quod enim Seneca alibi de rerum exiguis initiis in medium adfert, illud hic quoque locum habet. *Nulla non res*, inquit, *principia ſua magno gradu tranſit. Semina omnium rerum*

rerum cauſſa ſunt, & tamen minimæ eorum partes ſunt, quæ gignunt. Adſpice Rhenum, adſpice Euphratem, omnes denique inclytos amnes, quid ſunt, ſi illos illic, vnde effluunt, æſtimes? Quidquid eſt, quo timentur, quo nominantur in proceſſu parauerunt. Hoc docte, niſi fallor, Conradus Samuel Schurzfleiſchius expendit, qui, quibus gradibus ad tantum culmen ſurrexerit Miſnia, exquiſita diligentia adnotauit (b).

(y) Hac de re ſupra n. V. diſſeruimus.

(z) Exſtat apud Witechindum: *Cumque illa vrbe* (Brennaburgo) *potitus, & omni regione, ſigna vertit contra Dalmantiam, aduerſus quam iam olim reliquit ei pater militiam: & obſidens vrbem, quæ dicitur Grona, vigeſima tandem die cepit eam. Præda vrbis militibus tradita, puberes omnes interfecti, pueri ac puellæ captiuitati ſeruatæ.* Ne mireris, Ianam a me ciuitatem appellari, quam Meibomii editio Gronam nominat. Habeo enim prægnantes cum celeberrimo *Leibnitio* † rationes, quare ab Meibomio mihi diſcedendum exiſtimem. Neque enim Grona in tota Miſnia reperitur, niſi iſtud oppidum cum Albino ad Mildam infra Eulenburgum quæras; ſed qui tamen ipſemet dubitanter loquitur, quandoquidem Grona non oppidum, ſed vicus eſt, iuxta quem fluminis traiectus conſpicitur; nec, quod rei caput videtur, ad Daleminciorum pagum pertinet. Quapropter *Wilhelmus Erneſtus Tenzelius* Coethenam ſubſtituit, quæ Principum in Anhaltino territorio ſedes eſt, quod in codice Dreſdenſi legerit *Kietni*. Nos Sigebertum Gemblacenſem ſecuti, ſimulque Caſinenſem codicem, quem *Lauren-*

† *Prolegom. ad Script. Rer. Brunſuicenſ. n. XIV. XV. XVI.*

Laurentius Zacagni Bibliothecæ Vaticanæ primus cuſtos rogatu *Leibnitii* cum editione Herwagiana contulit, Ianam vel Ganam nominauimus, maxime cum ad riuum Hanam in Daleminciis hodienunc Iana inueniatur, Venedorum fortaſſis ciuitas, quam ſolo æquauit Auceps. Quæ, ſi cui non placeat, coniectura, is cogitet, argumenta coniectatoria ab illis, quæ certum demonſtrant, ſemper eſſe ſollicite diſtinguenda.

(a) Verba notatu digna ſunt†: *Hic* (Henricus) *montem vnum iuxta Albim poſitum, & arborum denſitate tunc occupatum excoluit, ibi vrbem faciens. Cui de riuo quodam, qui in ſeptentrionali parte eiuſdem fluit, nomen* MISNI *impoſuit, quam vt hodie in vſu habetur,* PRÆSIDIIS, *& impoſitionibus ceteris muniuit.* (*) Originem Miſnenſis vrbis hic deprehendis, Marchionis autem nomen non vides. Sed cogita, Marchionem haud vane ſubiungi, vbi præſidii in limite territorii mentio fit. Quid enim eſt Marchio, ſi non marchæ ſeu prouinciæ limitaneæ præfectus eſt? Nolumus illa repetere, quæ a Cangio, aliiſque ſunt collecta: alias ſuppeteret locus longe clariſſimus, vnde vocabuli Marchionis vis, ac poteſtas poſſet cognoſci †. Nunc ſatis eſt, ſi menti imprimas Marchionis MISNENSIS nomen haud paullo recentius eſſe. Candide Schurzfleiſchius (†): *Adhæc nihil aliud indicant verba, vt hodie in vſu habetur, cum dubitari non poſſit, ætate Detmari, qui Henrico II. imp. æqualis erat, Marchiam Miſnenſem in vſu fuiſſe, quamquam adiectione prouinciæ Miſnenſis eam non expreſſit vſquam, quod perinde de Marchia Brandenburgenſi liquet: & ſi diuerſa ſeparo ab ſe inuicem recte & in id tempus congruens ſtili argu-*

† *Edit. Leibnit. p. 327.*

† *v. Petri Marcæ Marcam Hiſpan. l. III. cap. XIX. ſeq.*

(†) *Diſſert. de Marchia Miſnenſi p. 4.*

argumentum quæro, non quidem ad liquidum omnia perducam, illud tamen nec temere adfirmabo, ante Henrici V. & Lotharii Imp. tempora Marchiam non legi ditionis Miſnenſis adiectione denotatam: ſi maxime multo ante inſtituta, & beneficio Henrici II. collata fuerat Dedoni, cuius hodieque ſuperſunt poſteri, & magna præcedentium ab huius ſæculi felicitate in Saxoniæ Electoribus, Ducibusque continuantur. Nec ſilentio prætereundum eſt, contigiſſe poſtea, vt quæ exiguis initiis creuerat Marchia, Ducatui, hoc eſt, ſummæ in republica dignitati exæquaretur.

(*) Diligens Balbinus hunc Ditmari locum neſciuit; ac quod nos ſcriptoris antiqui, illud Dreſſero auctore adſtruxit Loiolita. Quod miror.

(b) Indicamus atque intelligimus diſſertationem, quam de Marchia Miſnenſi a. cIↃ IↃCLXXIV. Witebergæ pro cathedra defendit. Perbreuis illa eſt, ut ſunt pleraque *Schurzfleiſchii*, ſed ſolide elaborata, iiſque rebus referta, quæ alio loco nec inueſtigabis, nec reperies. Inprimis autem §. II. huc pertinet, quo acceſſiones, quibus aucta eſt ſenſim, aliaque memoratu non indigna luculenter enarrantur. Inter quæ iſtud etiam, quod obſeruat, reputo, Marchias numquam hereditario iure certis familiis, ſed liberrimo Regum arbitrio fortiſſimis quibuſque adſignatas fuiſſe; donec Henrici IV. ætate, qua magna publicæ rei commutatio eſt facta, etiam Miſniæ Marchiones perpetuæ ſucceſſionis beneficium adfectauerint.

§. XXIV.

Interea obſcurum, nec ſatis perceptum eſt, atque

cognitum, vtrum post Dalemincios statim etiam Milceni, quos generali nomine Sorabos vocabant, deuicti sint, atque ad deditionem compulsi. Ditmarus ambigue loquitur, quando ex vrbe, quam Misni suo insignitam tempore scribit, eos oppugnatos, ac stipendiarios factos paullulum perplexe adfirmat (c). Verumtamen victoriæ tempus tamquam incompertum in medium relinquit, vt ambages, quas miscuit, sileamus, cum vrbem Leubuzi incendio deletam, ac vrbanos in munitiunculam, quæ infra illam reperitur, fuga se recepisse adfirmat. Hos sequior stilus Lusatos (d) appellauit, quos multi cum Leuticiis (e) praue confundunt. De Bohemis sicuti clariora occurrunt; ita circa temporum rationes parum controuersiæ est, si antiquos consulamus, nec riuulis turbide nonnumquam fluentibus immoremur. Meminit enim Witechindus, Pragam, quæ hodie Bohemiæ metropolis est, fuisse captam, Wenceslaum regem in deditionem acceptum, tributo gentibus imposito, quod Carolingicis olim Regibus persoluerant (f). De quo etsi domestici Bohemiæ scriptores silent, inque hac caussa elingues simulant; tamen ingenue fatetur Balbinus, se Witechindi, Sigeberti, Hermanni Contracti, aliorumque fideliſſimorum auctorum testimoniis victum manus dare. Inprimis vero Witechindi nomen atque auctoritas fecit, vt non tantum in eius narratione adquiesceret, verum etiam in illam notas multa eruditione refertas subiiceret. Ceterum prouidendum est, ne vniuersas Bohemias (g) deuictas aliquis credat. Supererant adhuc varii reguli; supererat Boleslaus frater Wenceslai: exstabant Morauorum Principes, qui multo post tempore Germanicorum Regum virtuti demum cesserunt.

(c) An-

(c) Ante omnia, quæ habet Ditmarus, apponam: *Ex ea* (Miſna) *Milcenos ſuæ ſubactos ditioni, cenſum perſoluere coegit. Vrbem quoque Lebus, de qua inpoſterum latius diſputaturus ſum, diu poſſidens, vrbanos in munitiunculam infra eamdem poſitam fugere, & deditios fieri compulit. Ex ea die, quia hæc tunc incendio iuſte periit, vſque ad noſtra tempora habitatore caruit.* Nec temporis, vt vides, in his verbis nota occurrit, nec, qui fuerint Milceni, indicatur. Sed ab his tamen ſine vlla dubitatione Marchia Milzauia dicta eſt, quæ & Budiſſinenſis audiebat, ac Sueuo, quem Spream vulgo nominant, rigatur. Superant Saxonicorum, ac Salicorum Imperatorum diplomata, ex quibus euidenter probatur, Milcenos ea loca incoluiſſe, quæ hodie illi fere, qui Luſatiam ſuperiorem inhabitant, tenent. Itaque *Reinerus Reineccius* admodum hic falſus eſt, quando Milcenorum notitiam Henrici II. ætate increbuiſſe demum ſcripſit. Aliud namque *Ditmarus* eo, quem allegauimus, loco indicat. Non poſſumus tamen non fateri, & Milcenos, & Luſatos ac ceteros quoque, qui Miſniam coluere, generale Soraborum nomen tuliſſe. Sorabi vero ſeu Syrbi, Srbi, Serbi ex Aſia Sarmatica in has terras paullatim commigrarunt, quod *Ptolomæi* † Geographi antiquiſſimi teſtimonio clarum fit, qui Serbos inter Ceraunios montes & Rha amnem, qui in Caſpium mare illabitur, ponit, atque collocat. Quod iis, quibus gentium etiam remotiſſimarum migrationes, ac mutationes parumper cognitæ ſunt, facile erit ad credendum. Vnde vix dubito, quin Scwirbia, de qua *Chronographus Saxo* †† mentionem facit, Miſniam deſignet, vbi Hungaros cæcidit fortiſſimus Henricus

† *Lib. V. Geogr. cap. IX. & XIII.*

†† *Ad a.* Ɔcccxxxv.

ricus. Recitabo verba ad propoſitum facientia: *Henricus Rex Vngros in Swirbia multa cæde proſtrauit, pluresque ex eis comprehendit.* Vt ita coniiciam *Coſmas Pragenſis* ſcriptor Bohemorum vetuſtiſſimus efficit, qui a Bohemis Miſniam dictam fuiſſe Sirbiam, ſeu Serbiam diſerte adfirmat. De cetero valde miror, *Chriſtophorum Cellarium* Collegam olim nobis coniunctiſſimum in Geographia, quam edidit, antiqua, libro ſane erudito, ad gentium ex Scythia Sarmatiaque profectiones nulla ratione mentem atque oculos direxiſſe. Potuiſſet ille, cum huic immoraretur rei, varia ad hiſtoriam pertinentia illuſtrare, atque detegere. Sed præter populorum, quæ collegit, nomina raro aliquid offendes, quod de ſuo is adiecerit.

(d) A pago Luzici Luſatiæ vocabulum fluxit. Et memoratur autem ille in Ioannis XIII. Pontificis Maximi litteris †, quibus Miſnenſis eccleſiæ erectionem confirmat. *Et ſic ſurſum vltra prouinciam Niſici ad ipſum terminum: nec non in altera parte* LVZICII, *& Selpoli, & ſic vſque ad ciuitatem Sulpize illam videlicet infra eumdem ſurſum vſque ad caput eius.* Idem nomen nuſquam frequentius, quam apud Ditmarum occurrit; vt Ottonis Magni diplomata prætermittam, in quibus nonnumquam pagi LVZICI memoria iniicitur. Etiam Witechindus Lib. III. Annal Slauos, qui dicuntur, *Luſiki* memorat, *quos Gero Præſes potentiſſime vicerit, & ad vltimam ſeruitutem coegerit.* Nuſquam autem, niſi in recentioris ævi monumentis illi, quos hæc Marchia comprehendit, tractus generali Luſatiæ nomine veniunt. Budiſſinenſis enim Marchia peculiares ſemper a reliqua Luſatia rationes habuit; quod ex epiſtolis ad Luſatiam

† *Apud Maderum Brunſuicenſium antiquitat. p.* 189.

ſatiam pertinentibus, quas Bohuſlaus Balbinus collegit, manifeſtum ſatis redditur: donec tandem Carolus vniuerſas, quæ hodie Luſatiæ adſcribuntur, terras in vnum corpus collectas, vno etiam eodemque nomine appellari iuſſerit. Idcirco in eam opinionem *Beniamin Leuberus* in deſcriptione *arcis Ortenburgicæ* delatus eſt, Luſatiam ſuperiorem ſub Budiſſinenſis Marchiæ titulo Bohemis; inferiorem vero ſub Luſicenſis appellatione Miſniæ Principibus, ac Brandenburgicis Marchionibus aliquando paruiſſe. Quod etſi certa ratione concedi poteſt, a vero tamen quadantenus videtur alienum, Budiſſinenſem Marchiam vniuerſa, itemque ſingula, quæ ad ſuperiorem Luſatiam hodie referuntur, ambitu ſuo continuiſſe. Sunt enim perplura, quæ non continuit.

(e) Errori huic ſcriptores ad vnum fere omnes, quamuis alias grauiſſimi, indulgent. Neque enim Kranzius tantum, verum etiam *Peucerus* † *Blondelus* ††, *Mabillonius* ††† aliique paſſim Luticios, ſeu Leuticios, Leuticos cum Luſatis perperam miſcent, nominis, vt paret, ſimilitudine decepti. Eruditus Schurzfleiſchius dubitanter hac de re loquitur, acute olfaciens ex Helmoldo, *illos eoſdem eſſe cum Wilzis, & ſane multo amplius patuiſſe.* †† quitur, acute olfaciens ex Helmoldo, *illos eoſdem continetur. eſſe cum Wilzis, & ſane multo amplius patuiſſe.* †† *In plen.* Verumtamen nec ſigillatim ille explicat, nec copioſe ſatis exponit, vbi habitauerint Leuticii, quæ loca coluerint, itemque an a Luzicis, ſeu Luſatis plane ſint diuerſi. Sane *Ditmarus* Lib. VII. de Leuticis verba faciens diſerte notat, eos Obotritos, & Waros vocari. *Glaber* auctor Conradi II. ætati æqualis eos ad mare aquilonare collocat, eoque in Ducatu Mecklenburgico hodierno, ac occidenta-

† *in Idyllio* 2. cIↃ Ic xciv.

†† *Aſſert. Geneal. Franc.* p. 23.

††† *Sæcul. V. Bened. Adelberti Epiſc. Praſ. p.* 862.

cidentali Pomerania ſedes illorum figit. Quæ etſi veriora ſunt, atque certiora, quam quæ alias in medium adferuntur, non puto tamen his adquieſcendum teſtimoniis eſſe, quando clariora adſunt, & ſuppetunt. Et attulit enim vir harum rerum peritiſſimus Antonius Pagius † in C.H.C. in Cæſaris Baronii annales e vita Ottonis Bambergenſis, quem Pomeranorum ἀπόστολον vocant, adeo euidentia, vt omnis ambiguitas vno quaſi ictu præſcindatur. *Per Saxoniam*, inquit ἀνόνυμος vitæ Ottonianæ ſcriptor, *iter diſpoſuit, & apud Hallam* (vrbem noſtram, in qua ſcribimus) *naues victualibus onerans per Albam* (Albim) *flumen in Habulam perlapſus Leuticiæ littora vſque adductus eſt, cunctaque Hallæ coemta, & nauigio vſque in Leuticiam portata* (per Salam videlicet, Albim, & Hauelam) *curribus & quadrigis quinquaginta cum annona imponens ibi per terram Leuticiæ vſque Timinam ciuitatem Pomeraniæ tranſportauit. Ex his perſpicuum eſt*, verba Pagii ſequor, *Leuticiam fuiſſe Teminium inter & Zedenicum ad Hauelam, & occupaſſe partem Mecklenburgi, Marchiæ Brandenburgicæ, Vkermark vulgo dictæ, & Ducatum Stetinenſem.* Vnde amplius intelligitur, quod idem ἀνόνυμος adfirmat, *in muris Temini poſitum Ottonem circa meridiem Leuticiam*, quam vaſtabat Pomeranorum Dux, *fumigare adſpexiſſe.* Quamobrem relinquitur, vt Leuticii triceſimo, aut etiam quadrageſimo milliario ab Luſatia abfuerint.

† *Tom. III. pag. 456. n. XXIII. ſeq.*

(f) *Poſthæc*, inquit Corbeienſis, *Pragam adiit cum omni exercitu, Bohemorum vrbem Regemque eius in deditionem accepit, de quo quædam mirabilia prædicantur; quæ quia non probamus, ſilentio tegi iudi-*

iudicamus, (frater tamen erat Bolizlaui) qui, quamdiu vixit, Imperatori fidelis & vtilis manſit. Igitur Rex Bohemias tributarias faciens reuerſus eſt in Saxoniam, cumque vicinæ gentes a Rege Henrico factæ eſſent tributariæ Abotriti, Vulzi, Heuelli, Dalmunci, Bohemi &c. Contigiſſe hoc anno Ⅾcccccxxx. & *Sigebertus Gemblacenſis, & Hermannus Contractus; & Vrſpergenſis* conſentiunt. Id quoſdam in dubitationem coniecit, quomodo *Witechindus* Wenceſlaum regio condecorare nomine potuerit, cum Henrici IV. aut Friderici Barbaroſſæ temporibus hæc demum in Bohemica gente dignitas refulſerit. Ego vero nullas hic tenebras video; nihil quod explicatu difficile ſit. Excuſſerant quippe Slaui poſt exſtinctam Carolingicam ſtirpem Regum Germanicorum iugum, negantes tributum, quod olim penſitabant imperio, Regum titulos, atque inſignia adfectando, oneribus atque collationibus ſe ipſos liberantes, ac eximentes. Quod in cauſſa ſine dubio fuit, quare tum *Frodoardus* †, cum *Witechindus* Bohemiæ Principibus regalem dignitatem attribuerint; quos deinceps Henricus itemque Ottones in ordinem redegerunt. Quamquam enim *Thomas Ioannes Peſſina* illuſtris *Martis Morauici* ſcriptor id propterea factum exiſtimat, quod Henricus in Ratiſbonenſibus comitiis Wenceſlao Morauiæ regnum contribuerit: eſt tamen iſtud adeo inexploratum, atque dubium, vt præſtantiſſimi ſcriptores Bohemici hoc quidquid eſt vel in medio relinquant, vel veritati minus conſentaneum pronuncient. Alterum quod in *Witechindi* recenſione controuerſioſum videtur, illud eſt: vtrum videlicet Boleſlaus in poteſtatem, ac fidem Aucupis

† *ad annum* Ⅾcccccl.

pis se commiserit, an Wenceslaus frater, quem Bohemi Sancti nomine postmodum cohonestarunt? Non enim est quisquam, cui *Corbeiensis* verba non iniiciant scrupulum. Ergo aliorum scriptorum volumina lustranda sunt, vt, quod hic incertum videtur ac anceps, clariori lumine colluſtretur. Atque id quidem Sigebertus pleniſſime præstat, qui apte: *Wenceslaus*, inquit, *Princeps Bohemiæ a Rege Henrico obsessus, se & vrbem Regi dedit, & impositam Bohemiæ multam tributi pecuniam soluit.* De Boleslao res incognita est. Quod si tamen coniecturis nonnihil indulgeamus, credibilius multo videtur, hunc Henricianis sese copiis magno conatu ac impetu obiecisse, ac in Ottonis demum potestatem vi atque armis esse redactum. Saltem *Witechindus* initio Libri II. Annalium adseuerat, Ottonem Boleslao bellum indixisse, qui Wenceslaum matris Drahomiræ instinctu e consortio viuentium exturbauerit. Quod, vt euidentius cognoscatur, subiiciam nonnulla forte non contemnenda. Est enim perspectum, sanctum Methodium fidei lumen in Bohemiam intulisse primum: nec obscurum etiam est, Borsiuoum gentis Ducem X. cum Ludmilla vxore salutaribus vndis a. Ɔccc xciv. fuisse ablutum. Ita enim Cosmas Pragensis: *anno Dominicæ in carnationis* Ɔccccxciv. *Borsuoy baptizatus est primus Dux sanctæ fidei Catholicæ.* In vita vero S. Cyrilli & Methodii posteriori (*), quam Ioannes Bollandus ad diem IX. Martii retulit, adhuc clariora leguntur: *Accidit vt Rex Swadopluck* (seu Zuentibaldus Morauiæ Rex) *in quodam conuiuio Ducem Bohemiæ nomine Worsiwoi sub mensa sua in detestationem suæ perfidiæ loca-*

locaret, incongruum adſerens debere cum Chriſticolis gentilem hominem edere. Quem ſanctus Præſul Methudius conuertit ad fidem catholicam, prædicens ei ore prophetico, ſi baptizaretur, quod ipſe & eius ſucceſſores potentiores omnibus Principibus & Regibus fierent. Cuius verbis Dux Worſiwoi conſentiens, ſe petiit cum triginta ſuis numero baptizari. Quo baptizato ſacerdotibus ſecum receptis Bohemiam reuertitur, & vxorem ſuam ſanctam Ludmillam (**) cum multitudine gentis Bohemiæ curauit baptizari: qui in Chriſti fide viuentes poſt multa tempora animas Chriſto reddiderunt, ſancta exempla poſt ſe relinquentes poſteris vſque in hodiernum diem, ad laudem & gloriam Dei omnipotentis, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen. Hi parentes Vratiſlaum filium genuerunt, patrem Wenceſlai & Boleſlai, maritum crudeliſſimæ feminæ Drahomiræ, quæ perfidia ſua effecit, vt Wenceſlaus filius cum auia Ludmilla parricidiali ſcelere, demiſſo in pectus ferro, interficeretur. Ne animo excidat generis ſeries, Genethliacum paradigma ſubiungam:

Borſuoi - - - Ludmilla
vxor.
Vratislaus - - Drahomira
vxor.

S. Wenceſlaus — Boleſlaus

Chriſtannus. — Boleſlaus Pius.

(*) Vocatur vita poſterior ab Ioanne Bollando, quem ſupra p. 38. amanuenſis vitio Iacobum nominauimus; quoniam alia S.

Cyrilli & Methodii vita publicata est ad eumdem IX. mensis Martii, quæ dicitur prior Itaque binæ superant Cyrilli & Methodii vitæ, quas, ne confundamus, interest.

(**) Refert Papebrocius in Paralipomenis ad conatum Chronico-historicum p. 70. se habere vitam S. Ludmillæ auiæ S. Wenceslai Bohemiæ Regis a Christiano Monacho S. Adalberti Episcopi Pragensis & martyris auunculo scriptam, & nepoti dicatam paullo post annum ordinationis eius primum, qui Christi fuit Ɔɔcccc.LXXXIII. At in vulgus hæc vita emissa est a Balbino, quod Antonium Pagium latuisse miror, qui multa inde singularia de Bohemorum conuersione depromi posse sperauit. Descripsit eam Iesuita a. cIↃ IↃcXLV. ex peruetusto membranaceo codice celebris cænobii, quod Tremonæ in Bohemia est: deinde vero in Epitome Rer. Bohem. Lib. I. cap. X. cum notis edidit; quamuis monuerit, auctorem non Christianum, sed Christannum Boleslai sæui filium, ac Boleslai pii fratrem appellandum esse.

(g) Vid Balbini Epit. Rer. Bohem. Lib. I. c. VI. p. 21.

(h) Balbini dicta hic lucem adfundent: *Non vane dictum* BOHEMIAS, *cum non ab vno Duce, sed a pluribus Bohemia regeretur. Erat Lucensis Princeps, erat Mielnicensis, Pragensis, Bolesiauiensis, Cauramensis, Weitrachensis pluresque alii, quos historiæ nostræ Pragensibus tantum Principibus imminentes neglexerunt* &c.

§. XXV.

Transactis omnibus, quæ in Bohemia agenda erant, ecce Slaui (i) Retharii (k) de improuiso insurgunt, Wallerslebiam (l) oppidum, vbi cathedram Episcopi nonnulli sine testibus erigunt, vastant, insigni Christianorum multitudine indignissime trucidata. His se Obotriti, Wilzi, Heuelli etiam, & qui sub iugum noue erant missi Slauorum varii populi, ac nationes sese iungunt ad libertatem ferociter adspirantes, quippe quam Saxo-

Saxonum virtute ſibi ereptam acerbe dolebant. Ad quorum rabiem reprimendam nihil cunctatus Rex alacer, Bernhardum ac Thiatmarum (m) miſit, qui Lunckinum (n) obſidione cingerent, vt barbarorum copias in vnum collectas totius Saxoniæ robore oppugnarent, ac viribus attritas ad officium reducerent. Hi imperata non impigre ſolum, ſed etiam auide executi, direptis fugatiſque cultoribus agri, ſumma vi vrbem oppugnabant. Ceterum vt appropinquare innumerabilem hoſtium multitudinem audiuerunt, extemplo aciem, nocte licet ingruente, inſtruebant: equitatu confiſi, quo ſuperiores Venedis videbantur. Igitur poſt ſolis exortum pugnatum tota die eſt; dumque hoſtes trepide cedunt, alii ſegniter ſubeunt, turbata tota acies; deinde prorſus fuſa eſt, donec, vincente pudorem metu, terga darent. Tum vero in fugientes equitatus immiſſus, nec ante finis ſequendi eſt factus, vſque dum ad mare compulſi pauentes, diſſipati, titubantes vel aquis ſuffocarentur, vel ad internecionem cæderentur. Veterum annalium fide (o) talia ſcribimus, qui ſupra cxx. hoſtium millia occiſa, VIII. vero commemorant capta. (p) Sed non modo non negabo; verum etiam aperte fatebor, eorum narrationem excedere paullo humanam fidem (q): inprimis cum Saxonum victoriam fere incruentam prædicant; atque occiſorum numerum ita adaugent, vt incredibilia prorſus, & portenti ſimilia, quæ ſcribunt, videantur.

(i) Witechindus omnium clariſſime rem exponit: *Cumque vicinæ gentes a Rege Henrico factæ eſſent tributariæ, Abotriti, Vulzi, Heuelli, Dalmanci, Bohe-*

Bohemi, Redarii, & pax esset: Redarii defecerunt a fide, & congregata multitudine impetum fecerunt in vrbem, quæ dicitur Wallisleui, ceperuntque eam captis & interfectis omnibus habitatoribus eius, innumerabili videlicet multitudine. Quo facto omnes barbaræ nationes erectæ iterum rebellare ausæ sunt. Ad quarum ferocitatem reprimendam traditur exercitus cum præsidio militari Bernhardo, cui ipsa Redariorum prouincia erat sublegata; additurque legato collega Thiatmarus, & iubentur vrbem obsidere, quæ dicitur Lunckini.

(k) Quam terram coluerint Redarii partim ex Helmoldo, partim ex Adamo Bremensi discimus, qui ea illis loca adscribunt, quæ hodie Vckeranæ Marchiæ Brandenburgensibus habitantur. Audiemus priorem †: *Post Odoræ lenem meatum, & varios Pomeranorum populos ad occidentalem plagam occurrit Winulorum prouincia, eorum qui Tholenzi siue Redarii dicuntur. Ciuitas eorum vulgatissima Rethre. Deinde venitur ad Circipanos & Kyzinos, quos a Tholenzis & Redariis separat flumen Panis & ciuitas Dimine. Kyzini & Circipani cis Panim, Tholenzi & Redarii trans Panim habitant.* Cum quo Adamus Bremensis prorsus conspirat: *Mox*, ait, *habitant Chizzini & Circipani, quos a Tholosantibus* (Helmoldus Tholenzos vocat) *& Retharis fluuius Panis separat, & ciuitas Dimine.* Quid igitur euidentius, quam tenuisse agros, quos hodie occupat Vckeranæ Marchiæ incola? Puto etiam inde consequi, vt Rhetra eodem in tractu sit quærenda. Nam quamuis sunt, qui Rhenam (oppidum Mecklenburgense) eo olim vocatam esse nomine putant; recte tamen *Hector Gothofredus Masius* in Anti-

† *Lib. I. Chron. Slau. c. II.*

Antiquitatibus Mecklenburgenſibus p. 59. non ita plane ab illis rem eſſe explicatam adfirmat, vt ne remaneat ſcrupulus. Itaque *Maderus ac Bangertus* ad eam opinionem ſunt adducti, vt vrbem Riedegaſt non diuerſam ab vrbe Rethra facerent, maxime cum obſeruarent, in ciuitate Rithre, ſeu Rhetra cultum Radegaſti ſolenniorem floruiſſe. Coniecturam Bangerti† eiuſdem verbis referam: *Ditmarus*, inquit, *Epiſcopus Merſeburgenſis, qui circa annum cIↃ. vixit, in litteras retulit, in Redariorum pago, id eſt deſtrictu vrbem antiquam Riedegaſt fuiſſe, in hac fanum affabre factum, in parietibus fani Deorum & Dearum imagines mirifice ſculptas fuiſſe. Vrbem binominem, & eamdem cum Rethre fuiſſe, atque alterum nomen ab idolo ſuo Radegaſto traxiſſe veriſimile eſt.* At probe iterum ab *Maſio* obſeruatum eſt, vtriuſque vrbis deſcriptionem plane diſtinctam inueniri. Etiam huius ſententiam, vt expreſſit ipſemet, adſcribam: *In vrbe Rethra*, inquit, *nouem portas conſtituunt ſcriptores; at in vrbe Riedegaſt Ditmarus non niſi tres portas memorauit: Rethres vndique lacu profundo circumfuſam ferunt; at ſilua ingenti Riedegaſt circumſcriptam fuiſſe tradit Ditmarus. Ad vrbem Rethren non niſi per pontem ligneum datum eſſe tranſitum, & duas Riedegaſti portas cunctis introeuntibus patuiſſe ſupra relatum eſt. Vrbis Rethræ præcipuum numen Radegaſtum accepimus; at Ditmarus in vrbe Riedegaſt principem Deorum Luariſici dicit, qui a cunctis gentibus præ ceteris fuit honoratus. Nil igitur cauſſæ video, cur vrbem Riedegaſt eamdem ac Rethram interpretemur, præſertim cum vtriuſque loci comparatio ſibi inuicem repugnet: & qui potuit idolum*

† *Ad Helmold. Chron. Lib. I. cap. 52.*

Radegasti nomen vrbi dedisse, (quod putat Bangertus) in qua non præcipuum erat Radegasti fanum, sed Luarasici? Mallem igitur agnoscere vtriusque vrbis diuersitatem; cum vero etiam dissimile non sit, in variis locis Radegasti fanum exstitisse. Vnde elucet, incertum adhuc esse, scrutandumque, vbi caput atque metropolis Redariorum lateat. Ego, si quid coniecturis adsequi possum, Stargardiam veterem illam Redariorum vrbem putarem. Quod quamquam a *Cranzio* memoriæ proditum scio, teneoque; existimo tamen eum opinionis suæ reddere nesciuisse rationes. Quamobrem ante omnia obseruo, Rethram seu Rhedam primariam Redariorum sedem ab Ottone M. Imperatore, & Gerone Marchione circa a. Ioccce LVI. solo æquatam, eoque omnem fere vulgatissimæ vrbis memoriam esse abolitam: præterquam quod Slaui noue ibidem ædificantes generali nomine locum, vbi Rethra stetit, veterem arcem nominasse videntur. Nam *Starigrod* Venedico sermone veterem arcem, sicuti *Bialygrod* album castrum signat. Saltem hæc diuinatio nec absona dici, nec ab omni prorsus ratione aliena pronunciari debet. Poloni etiam nunc *Sady Grozkie* † iudicia castrensia appellant.

†*vid. Hartknochii Orig. Pom. v. m. 64.*

(l) Fallerslebia, quam Slaui occisis incolis incendio deleuerunt, hodie vicus est. Incredibile alicui videri posset, Tollenzos atque Redarios magnis locorum interuallis ab Allera amne disiunctos in has sese terras effudisse. Verumtamen qui Hungarorum latrocinia cogitat, & Slauorum consuetudinem, qui populabundi magis, quam iusti more belli sæpius procursauerant, animo repræsentat; is Witechindum alioſque in hac causſa dubiæ

biæ fidei nuntios nequaquam reputabit. Ceterum cum *Caſpare Sagittario* † bono iure dubitamus, vtrum Epiſcopi ſedes a Brunone, & Tanquardo fratribus, quæ Schidræ ad Emmeram fuerit, Fallerſlebiam ſit tranſlata; cumque ibi breui tempore hæſiſſet Henrici auſpiciis Froſam: Froſa vero Magdeburgum ſub Ottone commigrauerit. Deſideramus enim auctorem antiquum, cui tuto attribui fides queat. Henricus Meibomius in notis ad Witechindum Chronicon Mindenſe allegat: Centuriarum Magdeburgenſium auctores †† ad Henricum Hervordienſem prouocant; ceteri Rolefincium de laudibus antiquæ Saxoniæ, ac Meibomium plenis paſſibus ſectantur, parum penſi habentes, vnde traditio defluxerit fabulæ, quam veræ hiſtoriæ ſimilior.

† *Antiquitat. Magdeb. p.* 13.

†† *Cent. IX. p.* 18. 23.

(m) De Thiatmaro ſupra n. XII. l. *m.* copioſius egimus. De Bernhardo nihil aut parum ſuperat. Bangertus, mirum quo auctore, Micrælius, Pomarius Ducem Luneburgi creant: Ego cum ignariſſimis ſcio.

(n) Nemo fere eſt, qui Lunckinum non habeat pro Leontio (Lentzen) oppido ad Albim ſito, maxime cum id in mentem Meibomio venerit, & Chronicon Quedlinburgenſe, vt & Chronographus Saxo††† vna cum Corbeienſibus faſtis communi plane conſenſu Lunginum ad Albim conſtituant. Sed ſunt mihi rationes neutiquam leues, atque infirmæ quæ ab hac opinione animum abducunt. Diſerte enim Monachus *Corbeienſis* Lunkinum in Redariorum prouincia collocat, quæ Bernhardo Duci erat ſublegata. Et hæc autem, vt oſtendimus, ab oriente fluuio Odora, ab occidente Pani, ab Auſtro Habola fere fuit circumſcripta, & clauſa. Cui accedit, quod Slaui fuſi, fugatique magno

††† *Ad a.* Ioccccxxx.

nume-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [195] - 183
PUBLIC DOMAIN

numero in vicinum mare iuerint præcipites. Mare vero hic vbi? Ac etsi sat scio, mediæ ætatis stilo lacus, stagna, omnemque aquarum colluuiem maris nomine venire: non occurrit tamen iuxta Leontium eiusce modi quoque aquarum congeries; nisi quidem ipsam Albim manifesto errore *mare* a Witechindo fuisse dictam, somnies. Itaque vix mihi tempero, quin Luchinum (Leichen / Lůchen) in Veria designem, cuius solum Redarii incolebant, vbi lacus ingentes, vbi stagna frequentia, omniaque ea occurrunt, quæ in veterum monumentis indicantur, pugnæ tam nobilis, locique adeo celebris mentionem facientium. *Henricus Bangertus* in notis ad *Helmoldi Chronicon Slavorum*† illud prælium ad oram maris Balthici commissum coniicit: in hoc laudandus, quod ex *Witechindo*, *Hermanno Contracto*, aliisque antiquis auctoribus collegerit, non congruere vero, si *Lunkinum* Leontium dicatur, ac contra annalium tenorem in Albis ripa collocetur. Enim vero non est, quod ad Sueuicum vsque, seu Balthicum Oceanum excurramus, cum in Vkrensi Marchia, quod volumus, inuenire, ac inuentum liceat circumspicere. Cernuntur iuxta Luchinum varii adhuc colles, ac terrei tumuli, in quibus cadauera magno numero occisorum sepulta atque condita credunt peritiores: offert se etiam ibidem lacus insignis, quem sine dubio Witechindus *maris* vocula indicauit. Et nullum autem dubium mihi hæret, quin sententia, quam propono, maiorem multo speciem præ se ferat, quam cum Venedos ab Albi ad longinqua, & mari contermina loca velut apum examina effuso cursu euolasse fingunt, argumento perquam euidenti hos homines ad incredibilia etiam credenda longe proniſſimos esse, me vero

† *Lib. I. cap. XII. p. 38.*

vero ſegniorem paululo. Ego enim omnibus in id ſemper viribus incumbo; vt ita exponantur veteres, ne quid prodigii ſimile admittendum ſit facile.

(o) Audiamus iterum Corbeienſem fuſe omnia narrantem : *Quinto obſidionis die venere cuſtodes exercitum barbarorum non longe eſſe adnunciantes: & quia nocte contigua impetum in caſtra facere decreuiſſent; cumque plures eadem confirmarent; populus fidem paribus dabat dictis: & cum conuentus eſſet populi circa tentoria, legatus eadem hora, collega dictante, præcepit, vt per totam noctem parati eſſent, ne qua forte irruptio barbarorum in caſtra fieret. Cum autem dimiſſa eſſet multitudo in caſtris, varia vere mœſtitia pariter atque lætitia aliis bellum formidantibus, aliis autem deſiderantibus & pro qualitate morum inter ſpem metum verſabantur bellatores. Interea dies tranſit, & nox ſolito tenebroſior cum ingenti pluuia adeſt nutu diuino, quatenus conſilium peſſimum impediretur barbarorum. Vt ergo iuſſum eſt, tota nocte illa armati erant Saxones, & primo diluculo dato ſigno, ſacramentoque accepto, primum ducibus, deinde vnuſquiſque alteri operam ſuam iuramento promittebat ad præſens bellum. Orto autem ſole (nam poſt pluuiam clara rediit ſerenitas) erectis ſignis procedebant. In prima quidem fronte legatus in barbaros impetum faciens: ſed cum pauci non præualerent aduerſus innumerabiles, reuerſus eſt ad exercitum, referens quia barbari non plures haberent equites, peditum vero innumerabilem multitudinem, & nocturna pluuia in tantum impeditam, vt ab equitibus coacti ad pugnam procederent. Igitur ſole cadente,*

in humida veſtimenta barbarorum fumum adſcendere fecit vſque in cœlum, ſpem fiduciamque præſtans Dei populo, cuius faciei claritas atque ſerenitas circumfulſit illos. Igitur dato ſigno, exhortante legiones legato, cum clamore valido irruunt in hoſtes. Cumque nimia denſitate iter pertranſcundi hoſtes non pateret, dextra læuaque ferro erumpentes, quoſcumque a ſociis ſecernebant, neci dabant. Cumque iam bellum grauaretur, & multi hinc atque inde caderent, & adhuc barbari ordines tenerent, legatus collegam, vt legionibus auxilo eſſet, expoſtulat. Ille vero præfectum cum quinquaginta armatis lateri hoſtili immiſit, & ordines conturbauit: ex hoc cædi fugæque tota die hoſtes patebant. Cum ergo per omnes agros cæderentur, ad vrbem vicinam fugere tentabant. Collega autem hoc eis præcauente, proximum mare ingreſſi ſunt, & ita factum eſt, vt omnis illa nimia multitudo aut gladio conſumeretur, aut in mari mergeretur. Nec peditum vllus ſuperfuit, equitum rariſſimus, deponiturque bellum cum caſu omnium aduerſariorum. Ingens interea oritur lætitia ex recenti victoria, dum omnes laudant duces, vnuſquiſque vero militum prædicat alium ignauum quoque, vt in tali fortuna fieri ſolet. Poſtera autem luce mouent ſigna vrbi præfatæ, vrbani vero arma deponunt, ſalutem tantummodo depoſcunt ac merentur. Inermes igitur vrbe egredi iuſſi: ſeruilis autem conditio & omnis pecunia cum vxoribus & filiis, & omni ſupellectile barbarorum Regis captiuitatem ſubibant.

(p) Nemo fere in antiquis reperitur, qui huius non memor ſit cladis. Helmoldus † grande prælium vocat, *quo ita ſint Slaui percuſſi, vt ceteri, qui per-*

pauca

† *Chron. Slau. Lib. I. cap. VIII. n. 4.*

pauci remanserunt, & Regi tributum, & Deo Christianitatem vltro promitterent. Fasti Corbeienses numerum cæsorum, quem nos retulimus, suppeditant. Witechindus jactanter: *Fuere qui dicerent*, inquit, *barbarorum ducenta millia cæsa captiui omnes postera die, vt promissum habebant, obtruncati.* Sigebertus Gemblacensis † eadem: *Redarii vsque ad* †*ad annum* *ducenta millia hominum conspirantes contra Henri-* DCCCCXXXI. *cum Regem rebellant, & regnum eius grauiter infestant, & vicina; gentes ad rebellandum animant, sed a Ducibus Regis Bernardo & Thietmaro graui bello victi omnes pæne moriuntur, aut fugientes in mare vicinum demerguntur, & hoc facto vicinæ gentes a rebellione deterrentur.*

(q) Non equidem inficias eo, magnam hostium multitudinem inundasse, vt cum Curtio loquar, campos, fremitusque tot millium etiam procul stantium aures impleuisse. Adsunt momenta, & quasi appendices personarum atque caussarum, quæ hoc verisimile reddunt. Recensentur enim non tantum Redarii, verum etiam Wilzi, Heuelli, Obotriti, Bohemi, Dani, qui in vnum coeuntes inimicorum cohortes adauxerint: adeoque permitto facile, vt numerus Slauorum varie ac late diffusus efficiatur. Nec repugno, Regem Obotrirorum Mieciflaum ea ratione perterritum Christianæ religionis disciplinæ patulas aures præbuisse, quod Appendix Reginonis, Ditmarus, ac Hermannus Contractus diligenter notarunt. Tantum dubito, an adeo pauci ex Saxonibus sint desiderati. Witechindus nimis concise: *Occiderunt etiam ex nostris in illo prælio duo Liutharii, (*) & alii nobiles viri nonnulli.* Deinde anxius hæreo, vtrum quinquaginta solum armati, quos Thiatmarus in

hoſtem adduxit, totam aciem diſruperint. Non eſt putandum, Slauorum ferociam, de qua veterum volumina tam immania efferunt, vno quaſi momento exſpiraſſe, ac deſiiſſe. Igitur quemadmodum *Cæſari* vitio damus, cum Sueuos a Romanis, qui antea mirum in modum trepidauerant, & totis caſtris teſtamenra præ timore Ariouiſti obſignauerant, tam turpiter victos, ac fuga elapſos ſcribit, vt e Veſontinis agris ad flumen Rhenum millia paſſuum circiter quinquaginta peruenirent, paucis Romanorum amiſſis, ac cæſis: ita Saxonicis ſcriptoribus vix condonandum videtur eſſe, cum ſua iactantius extollendo hoſtium robur, ac militaris virtutis gloriam vel ſupprimunt, vel quod ad veritatem omnino pertinere videtur, aſtute diſſimulant, reticentque. Quæ Bohuſlai Balbini non iniuſta querimonia eſt.

(*) Quinam fuerint illi Lotharii Meibomius in notis ad Witechindum p. 638. adjecta generis ſerie præclare oſtendit. Ex eorum ſanguine Ditmarus Merſeburgenſis coortus eſt, vt ipſemet teſtatur: *Ex noſtris autem duo abaui mei vno nomine, quod Luther ſonat, ſignati milites optimi, & genere clariſſimi, decus & ſolamen patriæ Nonis Septembris cum multis aliis oppetiere.* Iam vero cum Ditmarus ex Walbecenſi familia ortum traxerit, relinquitur, vt duo Lotharii Dynaſtæ fuerint Walbecenſes.

§. XXVI.

Duplici ſic victoria ouantem exercitum læta omnis (r) Saxonia excepit iniuriarum, quas a Slauis olim pertulerat, probe memor; eoque magis hilaris, quod Lunkinenſe tropæum quietem ſibi, ac halcedonia polliceri videbatur. Quam communem lætitiam Edithæ ex Anglia aduentus (f) haud parum auxit, vtpote quam Henri-

Henricus pater filio Ottoni in ſpem patriæ ſuccreſcenti coniugem deſtinauerat. Erat illa Eduardi (t) Angliæ Regis, quem perperam Witechindus, aliique Ethmundum appellant, ſpectatiſſima filia, virtute, forma, optimarumque rerum ſcientia (u) fulgentiſſima. Hanc ſolenni legatione expetitam Athelſtanus (x) frater non tantum ſine mora conceſſit; verum etiam, quod mirum eſt dictu, ſororem alteram addidit Eldgifam (y), ſeu Adiuam, vt vocat elegantis ingenii femina Roſwitha; poteſtatem optionemque facturus, præluſtri ſponſo, quin aut hanc ſibi tori ſociam eligeret, aut illam. Sed optauit is ſecundis velis in Saxoniam deuectam Editham, (z) Eldgifam *cuidam Duci iuxta Alpes* nuptui collocans, quemadmodum Malmesburienſis ſcriptor Anglicanus rem effert, litteriſque exprimit. Vt autem dos (a) nouæ coniugis ſatis eſt cognita, ita nuptiarum (b) locus ſeſe occulit.

(r) Duplicem victoriam dico, quod cruenta clade non tantum adfecti ſint Slaui, verum etiam Lunkinum captum, ac omnis barbarorum gaza in poteſtatem regis redacta. Gaudium Henrici vero Corbeienſis indicat: *Igitur legatus cum collega, & aliis principibus Saxoniæ victores reverſi, honorifice a Rege ſunt ſuſcepti, ſatiſque laudati, qui paruis copiis diuina fauente clementia magnificam perpetrauerint victoriam.*

(ſ) Hac connexione idem Witechindus rem exponit: *Itaque recentis victoriæ lætitiam augebant nuptiæ regales, quæ eo tempore magnifica largitate celebrabantur. Nam Rex dedit filio ſuo coniugem filiam Ethmundi* (Eduardi) *Regis Anglorum, ſoro-*

rem Adalſtani, quæ genuit &c. Sed occurrunt circa temporum rationes ſcrupuli, quos, vt tollamus, intereſt. Plerique enim has nuptias ad annum Ↄcccccxxx. referunt, quo excelſiſſimam contra Venedos victoriam diximus partam. Cui adſertioni nec Witechindus videtur refragari, vt qui poſt finem huius belli nuptialis lætitiæ commeminit. Verumtamen alio ille loco dubium excitauit, cum mortem eiuſdem Edithæ ſequenti ratione litteris tradidit: *Hæc*, inquit, *nata ex gente Anglorum, non minus ſancta religione, quam regali potentia pollentium ſtirpe claruit. Decem annorum regni conſortia tenuit, vndecimo obiit: Saxoniam vero decem & nouem annis inhabitauit.* His poſtremis verbis fateor, & mihi, & aliis tenebræ quædam ſunt obiectæ, quas primo diſpellere conatu nequiuimus. Quid enim? inquiebam, a. Ↄcccccxxx. Editha mariti thalamum conſcendit, a. Ↄcccccxlvi. illa teſte Frodoardo e viuis abiit: annos vero vndeuiginti in Saxonia commorata eſt. At ſic triennium, pergebam, deficit. Itaque primo calculi vitium ex Reginonis ſupplemento, Hermanno Contracto Caniſiano, ac Lamberto Schaffnaburgenſi, qui exceſſum Reginæ a. Ↄcccccxlvii. enumerant, corrigere ſtatui. Sed ne ſic quidem ratio conſtabat, quandoquidem biennium deerat. Itaque nouo conſilio ad Chronographum Saxonem Leibnitianum acceſſi, qui ſignanter: *Otto Magnus*, ait, † *Edith filiam Ethmundi Regis matrimonio ſibi iungendam Saxoniæ aduexit; eique vrbem Magdeburg, quæ nunc metropolis eſt Saxoniæ, tunc vero Halberſtadienſi diœceſi ſubiecta fuit, inter ceteras opes pro dote obtulit.* Incredibili adfectus ſum voluptate, cum annum non-

† Ↄcccccxxix.

nongenteſimum animaduerterem vndetrigeſimum. Eam ob cauſſam hic pedem fixi : ab hoc interuallo Witechindum rationes putaſſe mihi perſuadebam : ab interuallo, inquam, quo in Saxoniam delata eſt formoſiſſima ſponſa, non autem quo matrimonii vinculo copulata eſt Ottoni. Eo pacto perſpicue intelligebam, rerum geſtarum ſcriptores in ſpeciem ſolum diſſidere; cum alter vndetrigeſimum, trigeſimum alter annum ſignat. Quo circa nihil amplius reliquum erat, quam vt emortualis Edithæ annus cum primi aduentus tempore in concordiam redigeretur. Et obtulit hic quoque Anonymus vitæ Mathildæ ſcriptor † remedium ſatis validum. Hic enim *poſt obitum Edith illuſtris Reginæ Ottonem tres annos egiſſe in viduitate* diſerte adfirmans normam mihi ſuggeſſit inueſtigandi, ac cognoſcendi annum, quo vitam illa cum morte commutauerit. Quod ſi namque certum eſt, ac exploratæ veritatis, Adelheidam alteram vxorem a. locccli. in manum Ottonis conueniſſe; compertum etiam erit, ac indubitatum, Editham duodequinquageſimo ſupra nongenteſimum anno ſpiritum emiſiſſe. Atque ita vero Corbeienſis quoque adſertio rata, ac immutabilis erit, Reginam vndeuiginti annis in Saxonia vixiſſe. Quæ omnia, vt amice inter ſe conſpirent, ad inſcriptionem prouoco, quam Chriſtophorus Browerus in Annalibus Treuirenſibus † ex albo bene meritorum metropolitanæ domus S. Petri in medium attulit ad inſtitutum noſtrum maxime facientem:

† *cap. IV.*

† *Lib. IX. n. CIX. p. 459.*

SEPTEM-

XII. KALENDAS MAII CAPTA EST ADELHEIDIS CVMIS A BERENGARIO REGE XIII. KALENDAS SEPTEMBRIS A. ↃↄↄↄↄLI. LIBERAVIT DOMINVS ADELHEIDAM REGINAM A VINCVLIS.

Cui inſcriptioni omnino Appendix Reginonis conſentit, vt & Leo Oſtienſis Lib. I. cap. LXIV. qui Ottonis litteras ad Adelheidin caſtro Canuſino concluſam eodem anno ſcriptas exhibet: vt Frodoardum, ac Lambertum Schaffnaburgenſem, itemque Chronicon Hildeſienſe ſilentio prætermittam. Quæ cum ita ſint, euidentibus profecto argumentis concludendum eſt, & Flodoardum, qui ἐν παροδῷ de morte Edithæ aliquid inſperſit, & ceteros omnes, qui obitum illius anticipant, a vero declinaſſe.

(t) Cur Witechindus, atque Chronographus Saxo Ethmundum Edithæ patrem dixerint, facile coniicere licet; ſi perpendatur, Reginæ fratrem ſecundum genitum Ethmundi nomine inclaruiſſe. Ceterum non tantum ex Anglicanis ſcriptoribus; ſed & ex Roſwithæ carmine argui, probarique verum parentis nomen poteſt. Sic enim illa:

Hunc non in proprio voluit conquirere regno;
Trans mare legatos ſed tranſmiſit bene cautos
Gentis ad Anglorum terram ſub delicioſam
Demandans, vt continuo (tardamine miſſo)
EDVARDI *Regis natam peterent Eaditham.*
Quæ patre defuncto iam tum reſidebat in aula
Fratre ſuo regni ſceptrum geſtante paterni.

Qua-

Quapropter mirari subit, quare Nicolaus Schatenus exquisitæ alias diligentiæ auctor Witechindum potius errantem, quam Roswitham vera canentem sit sectatus.

(u) Vt ita scriberem, Guilielmus Malmesburiensis † in caussa fuit, qui *Edoardus*, ait, *filias suas ita instruxerat, vt litteris omnes ab infantia maxime vacarent, mox etiam colum & acum exercere consuescerent: vt his artibus pudice impuberem virginitatem transigerent. Filios ita, vt primum eruditio plena litterarum in eos confluueret, & deinde quasi Philosophi ad gubernandam rempublicam non iam rudes procederent.*

† *Lib. II. de Reg. Angl. cap. V.*

(x) Adelstanus quadam natiuitatis macula laborabat. Erat enim eiusdem mater opilionis filia; sed eminentis pulcritudinis puella, cuius lepore Rex Eduardus captum se sensit. Roswitha vates id paullo obscurius insinuauit, quod *Ioannes Bromptonus Iornallensis*, quem ex MSto *Ioannes Seldenus* †† publicauit primum, clarius enunciat. Ita enim ille: *Erat in illis temporibus in quadam villa Westsaxoniæ opilionis filia elegantis speciei puella, cui dormienti visum est lunam de suo ventre splendere, & de hoc lumine totam Angliam illustrari; quod cum cuidam matronæ, quæ pueros regis nutrire consuerat, retulisset, puellam recepit in domum suam & filiæ loco cibis delicatis nutriuit, & vestibus eam cultioribus vestiens gestu & moribus informauit. Et non multo post iste Edwardus Aluredi filius casu per villam transiens ad domum istius matronæ diuertit, credens famæ suæ detrimentum inferre, si nutricem videre, quæ ipsum educauerat, fastidiret, vbi visæ prædictæ puellæ, quæ Edgiua dicebatur, amore captus, dormiuit cum*

†† *Tom. I. Script. Hist. Anglic. p. 831.*

ea, quæ vno complexu grauidata peperit ei filium ſuum primogenitum, quem propter fidem ſompnii vocauit Ethelſtanum. Ex quo haud difficulter Roſwithæ verſiculos interpretabimur:

FRATRE *ſuo regni ſceptrum geſtante paterni*
Quem peperit regi conſors non inclyta regni
Ipſius egregiæ genetrix clariſſima Domnæ:
Altera ſed GENERIS MVLIER *ſatis* INFERIORIS.

Vnde *Malmeſburienſis* corrigendus eſt, qui Ethelſtanum primum genitum ex Egwina illuſtri femina tradidit. Noſtra Editha ex Elfleda Comitis Ethelini filia maternum ſanguinem traxit, vt recte *Malmeſburienſis* † teſtatur.

† *De Geſt. Reg. Angl. Lib. I. p. m. 26. edit. Londinenſ.*

(y) Idem Malmeſburienſis βραχεῖ λόγῳ: *Egditham & Elgifam idem Germanus miſit Henrico Alemannorum Imperatori, quarum ſecundam Ottoni filio elocauit, altera cuidam Duci iuxta Alpes.* At Roſwitha paullo copioſius:

Nec non Germanam ſecum tranſmiſit Adiuam
Quæ fuit ætatis meriti pariterque minoris:
Quo ſic maiorem prorſus conferret honorem
Oddoni nato famoſi regis amando,
Egregie binas ſtirpis mittendo puellas,
Vt ſibi quam vellet ſponſam licite ſociaret.

(z) Apte Roſwitha:

Adſpectu primo ſed mox Eadit veneranda
Iure placens cunctis habita ſummæ bonitatis
Regali nato cenſetur coniuge digna.

Reputaui mecum nonnunquam, quamobrem Henricus

ricus apud Anglo-Saxones vxorem filio quæsiuerit, & variæ mentem coniecturæ subiuerunt. Est enim certum, Eduardum ac Adelstanum Reges virtutis, ac sapientiæ gloria maxime tunc temporis fuisse conspicuos. De Eduardo paullo ante obseruauimus, quanta disciplina is filios suos educauerit, filiasque. Adelstanus autem filius Danos, vtpote communes Teutoniæ, ac Britanniæ hostes insigni virtute prostrauit; Ludouici Transmarini sororis filii patrocinium suscepit: leges sapientissimas sibi subditis proposuit; omniaque adeo considerate, ac fortiter ordinauit, vt amicitiam eius Reges ac Principes sapientissimi sua sponte expeterent. Saltem Malmesburiensis † in eum fere modum rationes suas subducit: *Henricus primus Rex Teutonicorum sororem eius, vt ante dictum est, filio Ottoni expostulauit, tot in circuitu Regibus prætermissis, progeniei generositatem & animi magnitudinem in Athelstano e longinquo conspicatus. Adeo enim hæc duo in eo consentiens habitaculum effecerant, vt nullus esset vel genere clarior, & illustrior, vel animo audacior. Quare perpenso consilio, quod quatuor sorores haberet, in quibus præter ætatis discrimen nihil de formæ gratia dissideret, duas postulanti Cæsari misit.* Quare binas? iam audiuimus. Et poterat autem Athelstanus, qui in longinquum solebat prospicere, coniecturis facile adsequi, non defututos in Germania procos, vbi regina soror, ac Rex foret affinis. Eius generis feminæ idem, quod Penelopi Ouidianæ accidit:

† *Lib. II. l. c.* *Henricus VI. p. 27.*

Turba ruunt in me luxuriosa proci.

Sed versatur tamen hactenus ille Dux quidam in igno-

ignoratione, cui nupſerit dicta Elgiua. Nunc huic diſquiſitioni nihil eſt loci.

(a) Paullo ante locum ex *Chronographo Saxone Leibnitiano* deſcripſimus; nunc vero diplomata Ottoniana commendamus, quæ partim Meibomius, partim *Sagittarius* in Antiquitatibus Magdeburgenſibus in vulgus emiſit. In his ſequentia crebro occurrunt verba: *ob remedium animæ. -- Coniugis noſtræ, cuius & prædictus locus* DOS *fuit.*

† *Annal. Paderborn Tom. I. Lib. III. p. 265.*

(b) Nicolaus Schatenus † nuptias a quibusdam in Weſtfalia celebratas tradit referri; quod Henricus eo tempore inter Ruram, ac Luppiam ſeſe continuerit. In quam rem magnificum ille Aucupis diploma producit in Werlaha ciuitate regia exſcriptum, quo Witgerum Werthinenſi cœnobio præſidentem honorauit. Cui diuinationi tamdiu adquieſcendum credimus, donec aliquis clarioribus argumentis, exempliſque contrarium demonſtret. Et arbitramur tamen illorum hinc ſatis argui audaciam, qui his nuptiarum ſacris, quæ Magdeburgi celebrata temere credunt, ludorum equeſtrium ſolenne exemplum, veterum monumentorum auctoritate deſtituti, adiungunt.

§. XXVII.

Poſt publicos plauſus, lætitiamque ad omnes pertinentem (c) ad Nortmannorum, ſeu qui nunc Danorum (d) nomine inſigniuntur, iniurias vlciſcendas animum Rex prudentiſſimus adiecit, ne ab Aquilone amplius dubii belli diſcrimen immineret; Slauique inuenirent, qui animos ſibi adderent, qui arma, qui naues, qui quadrigas, ac omne genus auxiliorum ſuppeditarent, pollicerenturque. Diſerte enim Helmoldus (e), cereri-

ceterique, qui de Redariorum expeditione, acceptaque clade aliquid ſcriptis, atque litteris conſignarunt, Danos in eorum medio collocant aut ſaltem hoſtilia enarrant, quæ in Friſiorum ac Saxonum terris ſunt moliti. Itaque delectu habito bellum diligentiſſime parabat Auceps (f). Quidam Danorum Regem Chnubam aliqui Chuipiam nominant, (g) cum tamen certum ſit, talia nomina in libris Danorum vix occurrere. Igitur oſtendendum eſt, quomodo in patria, ſeu Germanicæ hiſtoriæ monumenta irrepſerint. Tutius incedunt, qui Gormonem veterum annalium fide ſubſtituunt, trucem antehac religionis Chriſtianæ hoſtem (h), tum vero ſenio confectum (i), atque oculis captum. Huius copias Henricus in dorſo Cimbricæ Cherſoneſi ita dicitur cæcidiſſe, vt Sleſuicum validum eo tempore, & florens oppidum vi captum in poteſtatem ſuam redigeret, præfectoque ibidem, quem Marchionem appellarunt (k), in limine conſtituto, nouaque Saxonum colonia eodem tradu&ta Imperii fines vltra Eidoræ flumen proferret. Ceterum errant ſine dubio Chronographus Saxo, Hermannus Contractus, aliique; cum Danorum Dominatorem Chriſtianis ſacris ab Rege Saxonico imbutum teſtantur. Perſtitit enim in ſuperſtitione, quam a puero imbibit Gormo (l), nec Thyræ (m) coniugis, nec aliorum etiam conſiliis, ac ſuaſionibus permoueri potuit, vt depoſito errore ſalutarem Chriſti doctrinam amplecteretur. Conſimili ratione illud etiam procul vero eſt, quod Corbeienſis, ac Sigebertus produnt, victos Aucupem Danos ad pendenda ſibi tributa armis compuliſſe. Vix enim perſuaderi hoc illis poteſt, qui Nortmannorum regna. eorumque

ferociam circumſpiciunt vix vna clade coercitam, nedum edomitam (n).

(c) Sunt, qui expeditionem in Danos poſt Hungarorum in Saxonia cladem referant, quantumuis fallantur. Rectius Hermannus Contractus, Chronographus Saxo hanc victoriam anno triceſimo primo poſt nongenteſimum commemorant. Witechindus vero cum tropæis contra Redarios his verbis coniungit: *cum omnes in circuitu nationes ſubiecisſet, Danos, qui nauali latrocinio Friſones incurſabant, cum exercitu adiit, vicitque, & tributarios faciens, Regem eorum Nubam baptiſmum percipere fecit.* Supplementum Reginonis annum triceſimum ſecundum; Oddus Monachus vitæ Olaui Tryggwini ſcriptor vndetriceſimum adnotant.

(d) Nortmannorum nomen Francorum ætate innotuit; illudque non Danos tantum, verum etiam alios ad Aquilonem populos comprehendit: donec tandem diſtinctius loquerentur in Chronicis libellis, ac Danos a Sueonibus; & hos denique ab illis cum cura diſtinguerent.

(e) Witechindum audiuimus: Helmoldus † vero: *Dani quoque Slauos auxilio habentes primo Nordalbingos, deinde Tranſalbinos Saxones vaſtantes magno Saxoniam terrore quaſſabant* &c. Eadem fere apud Adamum Bremenſem reperiuntur.

† *Chron. Slau. Lib. I. cap. VIII.*

(f) Helmoldus l. c. *Deinde Daniam cum exercitu ingreſſus Worm Regem primo impetu adeo perterruit, vt imperata ſe facere mandaret, & pacem ſupplex depoſceret.* Verba poſtrema a veritate declinant, vt deinde oſtendemus.

(g) Ipſe Pagius *Witechindum* ſectatus Nubam dixit: Sigeber-

gebertus autem ad a. Ibcccxxxv. *Chuipiam* vocat, siue, vt in aliis codicibus habetur, *Chiupam*, a quo sua hausit Ioannes Cluuerus in Epit. Hist. p. 526. *Hæc vox autem*, inquit Henricus Ernstius †, *Danis monstrum nominis est.* Sed scio interea erroris originem, memoriaque teneo. Antequam enim Gormo Rex Iutiam sibi subiecisset, regnauit ibidem Rex Gnupa, Danorum habenas excutiens, quem is præliis attritum tandem interfecit. Repetam eam in rem ex vita Olaui Tryggwini (*) egregium locum, prout eum ex Islandico sermone in latinum conuertit Tormodus Torfæus vir clarissimus ††: *Gormus Rex in illam partem Daniæ, quæ tunc* REITGOTALANDIA, *iam vero Iutia nuncupatur, aduersus Regem quemdam* GNVPAM *dictum cum exercitu profectus est, quem post aliqua prælia occidit, & regnum ipsius in suam potestatem redegit. Deinde expeditionem suscepit contra Regem quemdam nomine Silfraskullium, ac cum eo aliquoties conflixit semper victor: tandemque illum Regem occidit. Postea in interiora Iutiæ pergens omnes Reges ad Slesuicum vsque deuicit, & magnam partem Vindlandiæ* (Vendiæ Wendenland) *sibi subiecit.* Is, qui recensetur, Gnupa forte errandi occasionem Corbeiensi dedit; nisi quidem dicas, *Ditmari* † Chnutonem, & *Sigeberti* Chuipiam adhuc videri diuersos ab illo Iutiæ Regulo Gnupa. Et tum vero coniecturas laudati Torfæi enixe commendarem, qui alterum Gormi filium Cnutum Holsatiam rexisse, ac Regem ab imperitioribus dictum acute ostendit in Trifolio Historico ††, quod Gormi Grandæui, Haraldi Cærulidentis, & Sueni Furcatæ Barbæ vitas sistit, ac comprehendit. Forsitan hunc Chnutonem, seu Chuipiam dixerunt.

† *In not. ad Regum aliquot Daniæ Geneadlogiam, & seriem anonymi, p. 40.*

†† *In serie Regum Dan. p. 445.*

† *Lib. I. edit. Leibnitianæ. p. 327*

†† *p. 11.*

(*) Erat

(*) Erat Tryggwinus Norwegiæ Rex, cuius vitam *Oddus* Monachus descripsit. Et vixit is autem, floruitque XII. sæculo nobilitate generis haud parum conspicuus, quod liber de originibus Islandiæ perample testatur; vt qui eius etiam Genealogiam p. 81. & 84. exhibet.

(h) Helmoldus iterum: *Apud Danos eo tempore Worm regnauit, crudelissimus inquam vermis, & Christianis non mediocriter infestus. Ille Christianitatem, quæ in Dania fuit prorsus demoliri molitus, sacerdotes a finibus suis depulit, plurimos etiam per tormenta necauit.*

(i) Vnde cognomentum Grandæui accepit, siue Gamle; Huitfeldius mendose pro Gamle Engelånder appellauit.

(k) Adamus Bremensis inprimis hic consulendus est, qui, quæ in hac caussa scripsit, ex ore Danici Episcopi viri boni & prudentis excepta se in litteras misisse adseuerat. Ita vero ille Lib. I. cap. XLVII. *Henricus victor apud Sliaswich, quæ nunc Heidaba dicitur, regni terminos ponens Marchionem statuit, & Saxonum coloniam habitare præcepit.* Ergo Sliaswic a Slia fluuio nomen tulit, qui supra Gottorpium oriens iuxta Slesuicum in stagnum se diffundit, ac in Balthicum mare influit. Sed Heitaba nonnulli Danicum faciunt, Heidebo, Heddeby, Heideby, Hetheby. Tradunt enim Dani, Hetham virilis animi feminam, cui Iutiam sub tributi conditione concesserit Olo, quarto hoc oppidum sæculo condidisse. Cuius fides penes auctores sit, qui tam antiqua loquuntur, tamque obsoleta. Potius simile vero est, Heitaby a Germanica voce Heide, quæ desertum significat, atque exprimit esse deductum. Saltem Torfæus eo inclinat, & nos cum illo. Ceterum obseruauit Claudius

dius *Oernhielm* † indigenas Daniæ ſcriptores, ac Saxonem inprimis Grammaticum indigne pleraque, quæ Henrici I. ac Ottonis M. tempore in Iutia Auſtrali contigerunt, diſſimulaſſe; donec Pontanus, atque Meurſius e Belgio adſciti ingenue vniuerſa, veterum ſecuti fidem, enunciauerint. Quod ſicuti verum eſt; ita luculentum præbet argumentum, quam parum prouidi ſint, atque cauti, qui omnem in Grammatico veritatis ſpem, ac fiduciam ponunt. Eſt enim ille elegans quidem ſcriptor, ac pro ſæculi, quo vixit, genio comtior; ſed Danorum gloriæ ac maieſtati adeo deditus, vt, etſi non ſcribat falſa, perſæpe tamen reticeat vera: quemadmodum e contrario Teutonici ſcriptores ſua fere vltra modum extollunt.

† *In Sueon. Gothorumque hiſt. Eccleſiaſt. p. 115.*

(l) Gorm Haraldi pater Horda-knuti filius homo fuit profanus, eoque tempore annis iam valde prouectus, luminibus etiam orbatus, fatoque ſuo anno poſt nongenteſimum triceſimo ſexto functus. Adamus Bremenſis, itemque Helmoldus pertinacem eiuſdem animum ſimilibus pæne verbis deſcribunt, quamuis in eo vterque labatur, cum Haraldum filium ad Chriſtiana ſacra perhibent traductum. Vix enim talia cum iis, quæ ſub Ottone M. de eodem Haraldo narrantur, conciliari poſſunt, iungique. Nec enim mouet, Vnnonem Bremenſis eccleſiæ Præſulem per Danicas inſulas circumvectum ſalutarem vbivis doctrinam annunciaſſe. Iam enim quæritur, an Gorm, aut alius etiam Iutiæ Regulus Chriſtianæ religioni ſacra initiati cærimonia ſint. De Vnnonis per Scondiam itinere nemo dubitat: vnde forte famam de Daniæ Regis BAPTISMO deriues.

(m) Saxo Grammaticus hanc Gormi coniugem pro

Ethelredi Angliæ Regis filia venditauit, quam *Vbbo Emmius* †, aliique cateruatim sequuntur. Sed ostendit Tormodus Torfæus in Trifolio cap. I, n. 2. eam Haraldi Klackii Comitis cuiusdam in Holsatia vel filiam fuisse, vel neptim. Hanc *Danamarker Bot*, id est, Daniæ ornamentum nominarunt. Quod ex *Olafi Triggwini* vita clarum potest reddi.

† *Rer. Frisic. Lib. VI. p. m. 85.*

(n) Hoc ab Danicis non tantum scriptoribus verum etiam ab Vbbone Emmio, qui rerum Frisicarum historiam eruditis litteris consignauit, præclare nouimus obseruatum. Quod vt tanto altius in animum demittatur, excerpam quæ habet: *Sigebertus*, inquit, *etiam prodit, Frisiis contra iniurias defensis victos Danos ad pendenda sibi tributa, ac regem eorum Chuipiam ad baptismum, & Sacra Christiana accipienda Aucupem coegisse. Quod ego de Iutarum parte, ac de principe eorum, aut regio præfecto accipiendum censeo. Nam de vniversa gente Danica ad tributum adacta nec verosimile est, nec cum historia eius temporis, quam Saxo aliique prodiderunt, consentit. Nec Chuipiam regem Dani in historiis agnoscunt, aut quemquam regum suorum ab Henrico Aucupe Christianis sacris imbutum esse tradunt. Quamquam hoc annales quidam habent, Vnnum doctorem, de quo diximus, Haraldum regni heredem a matre iam ante Christianis conciliatum multa doctrina eo tandem impulisse, vt baptismo initiari cuperet, imperante adhuc Henrico: alii autem ab Vnno quidem institutum, & Christianis hominibus in regno placatum; sed ab Ottone I. Imp. Aucupis filio armorum vi, vt baptisari se suosque sineret, ac publice profanos ritus gentis suæ aboleret, esse compulsum.* Simili pæne modo Torfæus rationes suas subducit: *Constat,*

ſtat, inquit, *præter hæc Henricum non vltra Sleſuicum peruenisſe. Nimis itaque hyperbolice ei tribuitur, quod Danos deuicerit, eo quod partem gentis non omnino a Chriſtianorum ſtilo auerſam partim armis, partim forte promiſſorum illecebris, & melioris conditionis oſtentatione in obſequium ſui traxerit, Saxonumque coloniam in Holſatiam non tam tranſtulerit, quam Danis Germaniſque, qui ibi forte prius habitarunt, miſcuerit.*

§. XXVIII.

Diſſipato cum Danis bello in Belgicam abiit Auceps (o), quam Galliam veteres ſcriptores nominarunt, vbi Boſo Rudolphi Galliæ Regis frater, qui Principatum Burgundiæ ſuperioris circa Vogeſum, regioneſque Campaniæ, ac Lotharingiæ conterminas obtinuiſſe videtur, multa turbabat (p): ſimulatque Heribertus Viromanduus (q) rebus nouis ſtudens ad Henricum inclinabat. Cum enim haud parum contuliſſet, vt Rudolphus ſummam imperii acciperet, putauit is, omnia quodam quaſi iure ſibi deberi, nec fas eſſe proinde, vt alicuius rei pateretur repulſam. Igitur magnopere excanduit, cum Galliæ Rex Laudunenſem Comitatum alii, quam Ottoni filio, pro quo laborabat, conceſſiſſet (r). Hinc enim illæ nobiles inimicitiæ, quas legatis vltro citroque commeantibus, Frodoardo teſte, aliquantiſper ſopiebant (ſ); donec idem Heribertus filium minorennem malis artibus (t) in Rhemenſem inuehere eccleſiam moliretur. Et tum namque copiis denuo collectis arma vterque capiebant: Heriberto ad Saxoniæ Regem confugiente; Rudolpho autem omnia obnixe facien-

faciente, ne homini inquieto opibus, atque præsidiis adsisteret. Quod postremum etiam inito fœdere, datisque obsidibus factum est, Henrico Rhenum transmittente (u), ne longinquo bello, induciis cum Hungaris ad finem properantibus, implicaretur, pollicitus cæteroquin, prout tempus, ac res se daret, laturum injuste oppressis auxilium.

(o) Diserte Hermannus Contractus ad a. Ↄ cccc xxxi. *Henricus Rex Reges Nortmannorum & Abotritorum Christianos fieri fecit, ipseque* GALLIAS *petiit.* Similia in Reginonis supplemento leguntur: *Eodem anno Rex ab Eberhardo,* (*) *aliisque Franciæ Comitibus, seu Episcopis in Franciam vocatus, singillatim ab vnoquoque eorum in domibus suis, vel ecclesiarum sedibus regem decentibus est conviviis & muneribus honoratus.* Superat etiam diploma Cœnobio Bronienſi Aquisgrani ab Henrico datum, ex cuius fine ac subscriptione luculenter patet, Regem a. Ↄcccccxxxii. Nonis Aprilis in Belgica adhuc fuisse.

(*) Nullum mihi dubium hæret, quin Eberhardus sit Conradi Regis Frater; quamvis alii pro *Saxone* venditent. Hic vero propterea in Lotharingiam ab Henrico missus est, vt, quemadmodum supra p. 110. ex Frodoardo probauimus, ibidem *iustitias faceret,* pacemque, quæ ægre coaluit, prudenter seruaret, turbatamque sollicite restitueret. Quod, si verum est, uti putamus, facile etiam intelligitur, quare idem Eberhardus, cum magnus inauguraretur Otto, Aquisgrani *Comitis Palatini* munere sit perfunctus.

(p) Erant Rudolpho Francorum Regi duo fratres, Hugo cognomento Niger, (diuersus ab Hugone Albo filio Roberti Regis) & Boso Comes, quod ex litte-

litteris cœnobio Romanensi datis, quas *Ioannes Mabillonius* cum illustris feminæ elogio euulgauit, probari, ac clarum reddi potest. Is igitur (Boso) frequentes cum Henrico Germanico Principe, vt loquitur Frodoardus, simultates exercuit, maxime quod terras quasdam Lotharienſis regni, ac nominatim Virdunensis ecclesiæ cum Abbatiis, quas vocant, nonnullis tenuerat, quæ Giselberto genero saliuam non minus, quam Bosoni mouebant. Idcirco castrum quoddam supra Mosam situm infestis armis Rex oppugnabat, vt repugnantem ad officium compelleret. Credo id ex ipso Frodoardo multo clarius iri intellectum: *Henricus*, ait†, *Germanicus Princeps cum multitudine Germanorum Rhenum transiit, & supra Mosam veniens, obsidet quoddam castrum Bosonis Comitis, nomine Durofostum, pro eo, quod Boso ad legem venire nolebat de quibusdam Abbatiis, & terra Episcopii, quam potestatis auctoritate ceperat, & pertinaciter, Henrici præcepta spernens, detinebat. Mittensque ad Bosonem pacem spondet, si ad se veniat. Qui & pacem regno iuramento promittit, terram quam vi ceperat, reddit, data sibi alia recompensationis gratia: pacaturque tam ipse, quam Regenarius cum Giselberto, & ceteris Lotharienſibus.* Et paullo post†: *Boso ad Henricum profectus pacem publice* IURARE *compellitur.* Verumtamen biennnio vix transacto ad ingenium rediit, cum Heribertus Viromanduus contra Rudolphum Bosonis fratrem veteres inimicitias persequeretur: & cum Giselberto, qui Durofostum castrum noue eidem ademerat, amicitiæ fœdus iceret. Huc enim Frodoardi† verba videntur pertinere: *Item inter Giselbertum Lotharienſem & Bosonem simultas*

† *Ad a.* Ɔcccccxviii.

† *Ad a* Ɔcccccxix.

† *Ad a.* Ɔcccccxxi.

tas oritur, pacato Boſone cum Heriberto, caſtrumque Boſonis Durofoſtum a Giſelberto capitur. - - & Heribertus amicitiam Giſelberti Lotharienſis accipit, Boſo relicto Henrico ad Rudolfum Regem vadit. Obſeruo in tranſcurſu *Waſſenburgium* in ſua *Belgica* horum omnium meminiſſe; ſed in eo admodum decipi, quod Ludouici Imperatoris filiam Boſoni coniugem tribuit; praueque ſine dubio Boſonem Arelatenſem cum noſtro miſcet. Cui aliud Vignerii† σφάλμα addendum cenſeo, Richarium Rudolpho ac Boſoni fratrem adſignantis. Vix enim ambigo, quin Richarium cognomento Iuſtitiarium, parentem Rudolphi ac Boſonis, in mente habeat; eumque horum fratrem ſine cauſſa dicat.

† *In Chron. Burgund. p. 83.*

(q) Comites Viromanduos Sammarthani Fratres†† ex Caroli M. proſapia, ac nominatim quidem Pipini, Bernhardique Italici Regis progenie deducunt: ex qua olim quoque Chriſtophorus Gewoldus ICtus ††† Boioariæ Duces non ſine ſpecie veri deriuauit. Inter quos Heribertum II. annales potiſſimum celebrant, qui Carolum Simplicem cuſtodiæ incluſit, indigniſque modis tractauit. Et hic vero is etiam eſt, de quo loquimur, quique ſe totum a Rudolpho abalienauit, & ad Henrici partes propendit.

†† *Hiſt. Genealog. Tom. I. p. 359.*

††† *In Genealogia Boioariæ Ducum ed.* 1620.

(r) Frodoardus in Chronico†: *Inter Rodulphum Regem, & Heribertum Comitem pro Laudunenſi Comitatu, quem Heribertus Odoni filio ſuo dari petebat, concedente illum Rege cuidam filiorum Rotgarii nomine, ſimultas exoritur.*

† *Ad a.* DCCCCXVII.

(ſ) Idem Frodoardus††: *Hugo* (Abbas) *& Heribertus ad Henricum colloquii cauſſa proficiſcuntur. Indeque reuertentes obuiam pergunt Regi Rodulpho,*

†† *Ad a.* DCCCCXVII.

pho, rursusque Heribertus se illi committit, iterum redacto sub custodiam Carolo &c.

(t) Insinuat id Frodoardus† in Chronico : *Rudolphus Rex litteras Remis mittit ad clerum & populum, pro agenda electione Præsulis. Ad quæ illi respondent, se id agere non posse, salvo suo electo & electione manente, quam fecerant. Heribertus Comes ad Henricum proficiscitur, eique sese committit, & exercitus Regis atque Hugonis Laudunensem & Rhemensem pagum deprædantur.* Eadem in Historia Ecclesiæ Rhemensis (*) clarius †† exstant: quam lege ac meditare. Non possum, quin Cæsaris Baronii ex T. X. Annal. hac de causa judicium subiungam : *Illud plane tunc primum contigit in ecclesia DEI videri monstrum, nunquam hactenus in orbe Christiano visum, nec auditum, immo nec puto mente conceptum, cum videlicet puer nondum quinquennis, nondum alicuius inferioris ordinis capax, vix ferula prima addiscens elementa, eligitur Archiepiscopus. Tanta ista adeo nova adeo turpia ac detestanda, solo auditu horrenda, atque pudenda, ne fabulam putes anilem, prodo eius auctorem, ex quo etiam cuncta verbatim describimus Flodoardum huius temporis scriptorem.*

† *Ad a.* Ɔcccccxxxi.

†† *Lib. IV. cap. XX. XXIII. XXIV.*

(*) Dicenda nonnulla sunt de Frodoardo, cuius auctoritate & testimoniis sæpe sumus usi. Mouet enim Christophorus Browerus in Annal. Treuirens. p. 451. dubium, vtrum is etiam Rhemensis historiæ scriptor sit dicendus. Et probat doctus Mabillonius ex eo, vnum fuisse eumdemque; quod tum in Chronico se iter suscepisse a. ɔcccɔXL. ad limina S. Martini adfirmet, cum etiam in Historia Rhemensi Lib. IV. c. XXVIII. Edidit idem Mabillonius Sæc. Bened. II. & III. nonnulla Frodoardi inedita, vna cum elogio auctoris suo tempore doctissimi,

simi, simulac ostendit, fuisse illum & Abbatem, & Presbyterum, & Monachum; quin promiscue a pluribus Frodoardum, Flodoardum, modo etiam Flawaldum appellari. Sigebertus sane de Script. cap. CXXXI. Flawaldum diserte nominat.

(u) Colligitur illud ex verbis Frodoardi sequentibus: *Rodulphus Rex pergens ad Attiniacum, Hugonem* (fratrem) *ad Henricum mittit, a quo Henricus acceptis obsidibus & pacta securitate trans Rhenum recedit.*

§. XXIX.

Nunc obfirmandos inprimis Saxonum animos in omnem euentum credidit Rex virtutis ac sapientiæ gloria longe florentissimus. Præuidebat enim, cauponaturos pacem suo more Hungaros, gentemque stolide ferocem vel tributum exacturam, vel omnes belli clades minaturam. At facile sibi videbatur post fusos fugatosque quatuor Heuellorum, Daleminciorum, Redariorum, ac Danorum exercitus, post tot vrbes vi captas, aut metu subactas in ditionem, post perdomita omnia vsque ad Oceanum, tot regulos, tot sæuas gentes, post receptam Lotharingiam, post militiam tot exercitiis, ac experimentis probatam superare, atque expellere Hungaros, qui magis velocitate ad fugam, quam armis freti pugnarent. Eam ob rem, aduocata suorum concione, negat, soluenda esse amplius prædonibus stipendia, negat patere illis vt olim regni aditus; negat in acie ac signis collatis aliquam iis vim esse. Proin vrbes muris ac præsidiis munitas commemorat; hancque sibi spem fortunam populi Teutonici, Deumque tot iniuriarum vindicem subiicere adseuerat; vt qui contumelioſe

lioſe patriæ illuſiſſent, ac cœlitum theſauros ex eccleſiis ſceleſto furore aſportaſſent, daturos iiſdem iuuante ſupremo Numine commeritas pœnas. Hæc cum protuliſſet, vixque finem dicendi feciſſet, quaſi ſimul ſenſibus atque oculis ira foret infuſa, primum voce, deinde dexteris in cœlum protenſis fidem Regi pollicendo, hoſtibus vero vltionem minando læti adſentiunt (x) ad vnum omnes, corpus, animum, fortunas, opes ſanguinem ita offerentes, vt aut, ſi ita videretur, redderent ſpiritum, aut ſeruati vni debitam vitam pro eo in perpetuum deuouerent.

(x) Ample ac copioſe hæc omnia percenſet Monachus Corbeienſis, cuius verba, quantumuis argumentum dedimus, tamen communicamus, ne cui aliquid dubitationis ſuboriatur: *Et conuocato omni populo tali ratione eos eſt affatus: Olim ex omni parte confuſum, a quantis periculis imperium veſtrum modo ſit liberum, vos ipſi melius noſtis, qui ciuilibus diſcordiis, & externis bellis toties attriti laborabatis. At nunc, propitia nobis ſumma diuinitate, noſtro labore, veſtraque virtute pacatum, collectumque cernitis, barbaros ſuperatos, & ſeruituti ſubiectos. Quod ſupereſt, neceſſe habemus, vt contra communes hoſtes Auares pariter ſimul conſurgamus. Vos hucuſque, filios filiaſque veſtras exſpoliaui, & ærarium eorum repleui, nunc templa templorumque miniſtros vt exſpoliem cogor, abſque nudis corporibus nulla nobis alia remanente pecunia. Conſulite igitur vobis ipſis, & quid ſuper hac re nobis ſit faciendum eligite: theſaurum diuinis officiis ſanctificatum tollamne, & dabo pro noſtra redemtione Dei inimicis? an certe*

addam cultui diuino pecunia honorem, vt ab ipso potiùs redimamur, qui vere noster exstat creator pariter & redemtor? Ad hæc populus leuauit voces in cœlum inquiens, se a Deo viuo, & vero redimi omnimodis desiderare, quia fidelis & iustus sit in omnibus viis suis & sanctus in omnibus; operam suam deinde promittens Regi contra gentem acerrimam, dextris in cœlum eleuatis pactum firmauit. Dolendum est reticuisse hunc auctorem locum, vbi Saxonum populus sit conuocatus; isque, quoad scio, nec ab alio etiam συγχρόνῳ in litteras missus est. Recentiores, vt lepidi, atque festiui mendacii interdum consilium capiunt; ita Magdeburgum locum fuisse comitiorum scripserunt.

§. XXX.

Ab hac oratione, eoque, qui nescitur, loco Saxonibus suis dimissis, non multo post ad iter Thuringicum se comparauit Henricus; atque in Eresphordiensi ciuitate Antistitum primariorum concilium coegit, vt qui paullatim in ecclesiam serpsissent morbi, congruis expertisque remediis sanarentur (y). Neque enim diffitendum est, sanctissima sacerdotia impenso sæpe pretio diuendita, ceteraque omnia publica, priuataque Flaminum munera, iis, qui plus licerentur, pessimo vtplurimum exemplo, fuisse concessa, ac data, Ad quam nundinationem, seu Simoniam, vt vocant, reprimendam canones sunt conditi, quos integros non tantum Baronius recitat, verum etiam Tomus Conciliorum IX. exhibet. Mirum est, hanc Synodum, ad quam tamen vniuersæ pæne Germaniæ Præsules confluxerant, a Dupinio,

pinio, aliisque (z) prorsus esse omissam: tametsi minores conventus recensent, multisque verbis res sæpe pusillas, contemtasque litteris describunt. Reginonis supplementum (a), quod ad annum tricesimum sextum post nongentesimum istud concilium rejicit, facile confutatur, quoniam in præfatione eidem præmissa *sub die Kalendarum Iuniarum* esse dicitur congregatum. Dabimus in notis nonnullas, quas ex prooemio fecimus, excerptiones (b), vt præcipui Saxoniæ, ac Allemanniæ præsules innotescant.

(y) Refert Serarius Moguntiacarum rerum Lib. IV. p. 680. ex MS. L. tantum tunc temporis fuisse sacerdotum ardorem, tamque intentam pietatem, *vt primum in se ipsis ecclesiæ in peius prolapsæ mores vindicare, & profundissima humilitate sese publice in terram demittere, & peccata sua & cleri plangere voluerint.* Quæ si vera sunt, non est sane ambigendum, imminentis belli pericula eiuscemodi ardens probitatis studium excitasse. Quos enim secundis rebus marcescere desidia, ac vitiis dissolutos ab itinere declinare deprehendimus, eos turbidis reipublicæ temporibus ad solius Dei auxilium, beneficiumque omni animi contentione adspirare videmus.

(z) Imprimis vero *Ioannes Mauritius Gudenus* Erfurtensis historiæ scriptor culpandus est, qui, dum in minutiis sæpe hæret, huius concilii memoriam deposuit: si quidem habuit vmquam. Est enim verisimile, eum hoc, quidquid est, non sciuisse, seu vt dulcius loquar, tersiusque, nesciviſse.

(a) *Anno*, inquit, *Dominicæ incarnationis Dcccccxxxvi. Synodus apud Esphersfurt in Thuringia celebratur*

a compluribus Episcopis, & Abbatibus. Lambertus Schafnaburgensis anno præcedenti, vt & MS. quo Serarius vsus est, commemorant; perperam omnes, minusque curate.

(b) *Anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi nongentesimo trigesimo secundo, anno etiam Domini Henrici Regis Christianissimi decimo quarto, indictione quinta sub die Kalendarum Iuniarum congregata est apud Erpessurd sancta & vniversalis synodus, vt Rex sapientissimus cum concilio primatum suorum decreuit inspirante omnium saluatoris clementia pro vtilitate, & statu sanctæ matris ecclesiæ. Cuius Regis solertiam prudentissimi viri Hildiberti (†) Archiepiscopi gubernabat. Considentibus vero religiosissimis sacerdotibus, id est, Ruidgero (*) sanctæ Treuerensis ecclesiæ Archiepiscopo, Vnni (**) sanctæ Hamburgensis ecclesiæ Episcopo, Adalguardo (***) Fardunensis ecclesiæ Episcopo, Rino (†) Argentinæ ciuitatis Episcopo, Nodingo (††) Constantinæ ecclesiæ Episcopo, Vnwanno (†††) Paderbornensis ecclesiæ Episcopo, Bernardo (††††) Halberstadiensis ecclesiæ Episcopo, Othilrico (ϛ) Augustodunensis ecclesiæ Episcopo, Burchardo (γ) Wirtzeburgensis ecclesiæ Episcopo, Duodone (δ) Osnabruggensis ecclesiæ Episcopo, Rumaldo (ε) Mimigernafurdensis ecclesiæ Episcopo, Eburgiso (η) Mimidonensis ecclesiæ Episcopo: nec non & Abbatibus, aliisque sacri ordinis viris.* Haud dubie ad hanc quoque synodum Luitprandus † respexit, cum Henricum his verbis introducit loquentem : *Simoniaca hæresis DEo invisa, & à beatissimo Apostolorum Principe Petro damnata, quæ ab antecessoribus nostris hactenus est temere custodita, modis omnibus a nostro sit regno expulsa.* (†) Hil-

† *Lib. II. cap. VIII.*

(†) Hildebertus e Fuldensi cœnobio ad Moguntinum Episcopatum a. Ɔcccccxxiv. scribitur traductus. Erat ille genere Francus professione Monachus, dein monasterii Fuldensis præfectura conspicuus; ac tandem primarius totius Germaniæ Præsul. Hæc & alia Hildeberto glorioſa Corbeiensis Monachus Lib. II. p. m. 642. his verbis adnotauit: *Eo quippe tempore erat ſummus Pontifex, nomine Hildibertus, Franco genere, monachus profeſſione, nutritus vel doctus in Vuldu monaſterio, & ad id honoris merito progrediens, vt pater eiuſdem loci conſtitueretur, deinde ſummi Pontificatus Moguntiacæ ſedis faſtigium promeruiſſet. Hic erat vir miræ ſanctitatis, & præter naturalem animi ſapientiam litterarum ſtudiis ſatis clarus. Qui inter cetera gratiarum dona ſpiritum prophetiæ accepiſſe prædicatur.*

(*) Indubitate hæc vox in mendo cubat, proque *Ruitgerus*, legendum eſt *Routbertus*. Namque Ruitgerus præsul iam a. Ɔcccccxxviii. e vita abiit. Chriſtophorus Browerus in Annalibus Treuirenſibus obitum quidem eius biennio differt, ac a. Ɔcccccxxx. percenſet; ſed mera, nec ſatis valida coniectura. In ſepulcro, quod eſt in Baſilica Pauliana VI. Kalendas Februarii notatur, anno omiſſo: at hic in Supplemento Reginonis, ac Chronico etiam Saxonico, quo Mabillonius vſus eſt, eo, quo diximus modo ſignatur. Ceterum ipſemet obſeruauit Browerus l. c. p. 451. non eſſe, quod quis exiſtimet, Ruotgerum Erphordienſi Synodo interfuiſſe. Forte librarii canina littera R. Archiepiſcopi nomen expreſſerunt; quæ vt Ruotgero, ita ob temporum rationes rectius aptari Ruotberto poteſt. Interea errat Browerus, quando hunc Routbertum Rudolphi II. Burgundiæ Regis filium, ac eiusdem matrem Bertham Arnulphi Boioariorum Ducis filiam appellat. Eſt enim ſupra a nobis p. 88. oſtenſum, Rudolpho nec Ruorbertum filium, nec Arnulphi Boioariorum Ducis filiam coniugem fuiſſe. Si Burchardum Allemanniæ Ducem Berthæ patrem nominaſſet, tolerandus foret. Et ita vero magis eſt, vt cum Merſæo, & Belgici Chronici ſcriptore eum Saxonem, ac Mathildæ Reginæ fratrem pronunciemus. Quod, etſi Browerus negat, non habet is tamen ſat graues diſſentiendi cauſſas. Nam quæ de Routberti gente ſuperaddit, in fabulam incidunt.

(**) Hic eſt ille Hunni, ſeu Vnno, quem Rex Conradus Leidrado proprio motu prætulit, quamuis ſacerdotes Bremenſis eccleſiæ Reg-

siæ Regmuardo præsuli defuncto surrogandum iudicaverant. Non est fere quisquam, qui hunc virum magnis non extulerit laudibus; maxime cum, sanctissimorum hominum more, ea adierit loca, vbi vera religio, vbi rerum diuinarum notitia, vbi probitas exulauerat, vt ibidem salutaris doctrinæ lucem accenderet. *Adamus Bremensis Helmoldus*, itemque *Albertus Stadensis* nonnulla suppeditant, quæ ad merita eiusdem cognoscenda pertinent. Sed sunt etiam aliqua, quæ censoriam mereantur virgulam. Vix enim credibile est, quod *Adamus Bremensis* adseuerat, eum publica in Danorum insulis, ac Sueonia (quam Scythiam ille corrupte appellat) publica auctoritate christianæ disciplinæ præcepta proposuisse. *Mihi*, inquit, *Claudius Oernhielmus* in Hist. Sueon. Gothor. eccles. p. 120. *parum fit simile veri, permissuros fuisse Reges doceri palam doctrinam inueteratæ contrariam, nisi meliorem putassent, approbassentque animis.* Itaque probabilius multo est, Vnnonem priuatim, occulteque, vt in prima ecclesia fecerunt ἀπόστολοι, diuinæ ac veræ religionis semina sparsisse. Id certum est, corpus huius præsulis Bircæ, quæ tunc metropolis Sueoniæ audiebat, fuisse sepulcro mandatum: caput enim ad Bremensem agrum ecclesiamque delatum est. Annus emortualis ɔɔɔɔcxxxvi. ab *Adamo* signatur. Conf. *Vastouii* vitem Aquiloniam p. 17. seq. quam notulis non contemnendis *Ericus Benzelius* filius euulgauit.

(***) Adalwardus Verdensis ecclesiæ præsul Adalgagi, qui Vnnoni felicibus auspiciis successit, præceptor fuit. Hoc in Chronico, quod *Meibomio* debemus, Bremensi diserte memoriæ proditum legimus. Dolendum est, neminem peculiari opera Verdenses Præsules descripsisse. Præter solum enim *Kranzium*, &, qui eum descripsit, *Bruschium* vix aliquem offendes, qui illorum res gestas paullo liberalius descripserit.

(†) De hoc Rino, seu potius Richwino in *Erckenbaldi* Episcopi Argentinensis Argentinensium Præsulum Catalogo, quem Ioannes Schilterus ex Iacobi *Regiouillani* Chronico latino MS. edidit, sequens elogium p. 493. inuenies. A. ɔɔɔɔcxxxiv. *nobilitate præcellentem, profunditate litterarum ampliorem, virtutibus illustrem, genere Lotarienſem, in iuuentute viuidum, in senecta spiritalem. XVI. anno sui Episcopatus morte sibi votiua, suis luctuosa præuentum sancta Maria intercedente celum rapientem sanctus argentinensis clerus III. Kalendas Septembres*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [226] - 214
PUBLIC DOMAIN

tembres depoſuit Richwinum. hic Epiſcopus multa prædia ad eccleſiam ſancti Thome apoſtoli tradidit. Erckenbaldus vero Ottonis Magni tempore vixit. Atque inde euidens exiſtimo reddi, decipi *Guillimannum*, qui obitum Richwini ad initia a. Ɔcccccxxvi i i. commemorauit. Rectius *Wimphelingius* inceſſit.

(††) Succeſſit hic Notingus Salomoni Epiſcopo multis animi, atque ingenii dotibus fulgenti. *G. Bucelinus* in Chronologia Conſtantienſi eum Comitem Veringenſem appellat; eumque a. Ɔcccccxxxiv. commemorat obiiſſe, *Hermanni Contracti*, ac *Hepidani* calculum ſecutus. Chronicon cœnobii *S.* Blaſiani a. Ɔcccccxxx. mortuum tradit, quod indubitate falſum eſt, quoniam Erfurtenſi, quam deſcripſimus, ſynodo interfuit. Chronicon S. Galli a. Ɔcccccxxxi i i. eius refert exceſſum. At ſimilior vero eſt Hepidani, atque Hermanni Contracti chronologia. Trithemius in Chronico Hirſaugienſi libros Notingi percenſet, quem fere ceteri exſcribunt, in hoc falſus, quod concilium Erfurtenſe a Ɔcccccxxxv. referat.

(†††) Nonnulli Vnewardum, alii Honwardum vocant. Incertum reliquit vetuſtas ex qua familia, aut quo vitæ inſtituto ſit delectus. Ceteroquin Schatenus regias quaſdam litteras produxit, in quibus Vnwanni præclara mentio iniicitur. Probabile eſt, eum a. Ɔcccccxxxvi. abiiſſe ex hac vita. Nam in diplomate Heriſienſi virginum collegio a. Ɔcccccxxxv. conceſſo adhuc dicitur ſpiritum duxiſſe.

(††††) Expeditæ nunc veritatis eſt, hunc Bernhardum ex Dynaſtarum Hadmerſleuienſium ſanguine eſſe coortum. *Bucelinus* temere Burggrauii Magdeburgici titulum ei adiecit, quem alii, vt fit in his rebus, cæco impetu ſunt imitati. Non eſt ambigendum, eum Hadmerſlebienſis Parthenonis auctorem fuiſſe, atque architectum. *Mabillonius* Bruſchio, ac Bucelino præeuntibus Hadmerſheimiam appellauit. Verumtamen produxit nunc optimus *Leuckfeldius* in Antiquitatibus Groeningenſibus p. 285. confirmantis Ottonis II. litteras, in quibus hæc inter alia omnem dubitationem eximunt, atque tollunt: *Et quia iam dictum monaſterium Hadmerſlebi ex traditione diuæ memoriæ Bernhardi Epiſcopi --- prædictæ eccleſiæ Halberſtadienſi ſubiectum eſt* &c. Vitam Antiſtes ad a. Ɔcccc LXVIII. produxiſſe dicitur; ſed minus accurate. Quod ſi enim verum eſt, Hildeuardum iam Rauennatenſi conci-

concilio interfuiſſe, ſequitur, vt BERNHARDVS iam ante annum Ɔccccc LXVIII. vitam depoſuerit. Nam hæc a. Ɔccc LXVII. celebrata eſt ſynodus; quod ex ipſius Pontificis Romani litteris, quas *Meibomius* ſub titulo *erectionis eccleſiæ Magdeburgenſis in Archiepiſcopalem* cum Witechindi Monachi annalibus edidit, luculenta ratione probatur. Illis cum aliis Epiſcopis etiam Hildewardus Halberſtadienſis ſubſcripſit. Ergo biennio ſaltem citius BERNHARDI mors contigiſſe videtur.

(β) Vdalricus ex illuſtri ſanguine ortum duxit. Ἀνώνυμος vitæ eius ſcriptor, quem Marcus Velſerus ex tribus codicibus MS. typis mandari iuſſit, Burchardum Allemanniæ Ducem nepotem huius antiſtitis appellat. Plerique patrem Hucbaldum ad Kyburgenſium Comitum ſtemma referunt; mirumque propterea pluribus viſum eſt, quare Sigebertus eum in Bavaria natum ſcripſerit. Illud prorſus expeditum, fratrem eius in veterum annalibus Comitem Diepholdi nominari: quemadmodum etiam indubiis fere argumentis conſtat, Vdalricum a. Ɔccc XC. natum: anno Ɔccccxxiii. eccleſiæ Auguſtanæ præfectum, ac anno denique Ɔccccc LXXIII. fato ſuo eſſe perfunctum. Tandem *Ioannes Mabillonius* Sæcul. Bened. V. auctorem vitæ ex antiquo S. Emmeramni codice membranaceo detexit, eumque Gerhardo Preſbytero tamquam vero parenti attribuit. Eamdem vitam alio polire ſtilo voluit diuerſus ab hoc *Gerhardus* Auguſtanæ itidem eccleſiæ Epiſcopus; quantumuis non perfecerit. Idem tentauit *Berno* Augienſis Abbas, quemadmodum id pluribus ex *Marci Velſeri* operibus intelligi poteſt. Ioannes XV. ob mirabilem, quam de Vdalrico prædicarunt, vitæ ſanctimoniam ſolenni eum ritu in claſſem ſanctorum retulit.

(γ) Certum eſt, huic Burchardo iunioris cognomentum addi, in locum Diedonis ad primariam Wirzburgenſis eccleſiæ dignitatem euecto. Memorat *Lambertus Schafnaburgenſis*, eum antea Hereſfeldienſi cœnobio cum auctoritate quadriennio fere præfuiſſe. Inde a. Ɔccccxxxi. ad Epiſcopatum euectus annos ſedit nouem, menſes tres, dies viginti & quinque, vt loquitur Chronicon Wirzburgenſe, quod Tomo Miſcellaneorum I. vulgauit *Stephanus Baluzius* vir eruditionis ſtupendæ.

(δ) Non reperit de Dudonis geſtis, quæ forent memoranda, *Erdwinus*

winus Erdmannus Osnabrugensis Consul. Quid igitur inuenient alii, qui ab ista procul ciuitate absunt? Sed inuenit tamen in vetustissimo codice, Dudonem a. Ɔcccccxxxiv. ex hac vita discessisse. Conf. quæ adnotauit *Hammelmannus* Lib. II. Chronici Osnabrugensis p. m. 528.

(ε) Præsules Monasterienses olim Mimigardeuordenses dicebantur a celebri ciuitate Mymingrode / quæ postea ob insigne monasterium ibidem conditum nomen vetustum prorsus immutabat. Rumaldus, seu Rumoldus, aut vt *Mersæus* vocat, Rainoldus, cuius in præfatione Erfurtensis Concilii mentio iniicitur, ob insignem in veterum monumentis liberalitatem prædicatur; quam eo inprimis tempore inopia laborantibus ostendit, cum ingraueſceret annona. Vnde facile colligi potest, quare is Iosephi nomen, & vulgi sermone, & litteratorum sit adeptus iudicio. *Mersæus* hic temporum rationes turbat, nostrumque Rumbaldum post tempora Ottonis Magni floruisse perperam existimat.

(η) Optime animadvertit *Nicolaus Schatenus* Annal. Paderborn. Tom. I. p. 268. falsum esse Chronici Mindensis auctorem Meibomianum, qui Lutharii, seu Litarii Præsulis vitam ad a Ɔcccxxxvi. prorogat. Addo falsos etiam esse ceteros, qui omnia hic confundunt, atque temere turbant: aut, quæ maximi videntur esse momenti, omittunt. *Wedechindus Duldorpius* vates de Euergiso hoc nostro sine circuitione:

Est nihil in fastis de te, Euergise, quid obstat?
Quod satis officio feceris vsque tuo.

Vnde colligitur, quam incurioſi fuerint veteres, qui, quæ in Erfurtensi synodo sunt acta, silentio presserunt. Mirum est Paullinum, cum Chronicon *Wattenstedii* Mindense ederet, nullum huic malo remedium attulisse.

§. XXXI.

Hæc in Erfurtensi conuentu cum sacerdotibus, quos de pace belloque tunc consulebant, (c) ductu, auspicioque Henrici gesta. Is vero, quo magis imminentes formidines animo agitabat, atque induciarum finem cogitabat, eo curæ intentioris erat. Haud dispar

habitus animorum Hungaris, qui argentum, tributa, penſiones effreni per legatos oratione flagitabant, (d) maxime cum rerum geſtarum magnitudinem reſpicerent, Allemannos ſæpe victos, perterritos Italos, (e) Saxones pulſos, ac pactas auro inducias mente volutarent. Itaque vix ferre, ac concoquere iniurias poterant, cum loco ſtipendii conſueti contemtum ad ſuos referrent, ludibrioque a Dalemínciis veteribus ſociis excepti, canem monſtroſæ obeſitatis pro auxilio ſibi obiectum cernerent. Faciebant barbaris, ac ſtimulatis ira animis ſubiectæ oculis ciuitatis per multos annos florentis vires ſpiritus; & viri, equique quibus abundabant, in ſpem erigebant omnes, fore, vt quæ abnuiſſent Germani rogantibus, vltro offerrent iidem arma, machinas, vaſtitatem, ac perniciem inferentibus. Igitur iis inprimis, qui bello apti erant, in vnum coactis, equos, tela, ferrum diuidunt, equiteſque in turmas, ſicuti quondam fecerunt, diſtribuunt; exercituque ad Thuringiæ fines diuiſo (f) in Oſtfaliam irrumpunt, altero in occidentem directo, vt variis locis ſimul quaterent tributarios olim Saxones. Regi hæc audienti non rubor ſolum ſuffuſus; ſed virtus etiam, quamuis ægroto, accenſa, & quum de caſtris in propinquo poſitis, deque obſeſſo Merſeburgo nuntios accepiſſet, ſub capitali pœna edicit, vt extemplo Saxonum, Thuringorumque legiones ad militaria ſigna conuolarent, ac intra triduum ad ſe citato curſu irent. (g) Quarto die vtrimque in aciem deſcenſum eſt, primoque impetu ſimul Vngarorum cornua ſubuerſa: cæſi Duces, trucidata turba, quæ nec fuga ignotis locis ſalutem, nec ſpem veniæ ab

Aucu-

Aucupe reperiebat, aliis ſuper alios cadentibus, obſtinateque morientibus. (h) Quibus in inferiore Saxoniæ parte peractis tandem cum exercitu in orientalem incredibili celeritate eſt degreſſus, vbi mœnia Merſeburgiorum (i) quinquaginta hominum millia oppugnabant, Widone Thuringiæ præfecto (k) inaudita virtute ciuitatem tuente, poſteaquam pro ſe quiſque, quæ diutinæ obſidioni tolerandæ ſunt, ex agris conuexiſſet. Et ita vero hoſtes oppugnando oppido intentos, iamque machinas muris admouentes auertit fama aduentantis Henrici (l) bene meriti de gente ſua, aliiſque Teutoniæ populis. Primo haud procul ab caſtris hoſtium conſedit; poſtero die ſub ortum ſolis cum equitatu in patentes campos erupit, ſuccedendo ad ſtationes inimicorum, laceſſendoque leuibus præliis, vt alliceret fugientes; &, pugna a paucis accenſa, omnis vtrimque equitatus poſtremo certaminis ſtudium effunderet. Ibi Auceps, dum obequitat turmis, animos ſuorum erigit propinquum debellandi finem ante oculos ponens, omneſque velut ad ſupremum certamen præparans. Teſſera Chriſtianis Luitprando teſte Κύριε: Hungaris hui, hui fuit. (m) Regia ſtatio prælato angeli (n) ſigno atrociſſimum prælium edebat, quam ingentia Vngarorum agmina ſuſtinere nec poterant, nec volebant, deuitantes ſtabilem aciem, turbatique nouo genere pugnæ. Quamobrem non equiti ſolum cedebant; ſed ne peditem quidem ſuſtinere equitis præſidio audebant. Tantum memoria prioris cladis, ſeu præſens terror valuit. Hinc cædes ea in pugna minor, quam victoria fuit; quia equeſtri tantummodo prælio certatum fuerat.

rat. (o) Frodoardus XXXVI. millia, hominum, ait, occisa, minus dimidium eius capta : quod de utroque prælio merito intelligendum censemus. (p) Sed castra tamen præsidiis inimicorum nudata in Saxonum potestatem venerunt, maxima captiuorum multitudine in libertatem vindicata. De his rebus non tam Hungarici (q) scriptores, qui pleraque miscent, itemque adulterant; sed Teutonici consulendi sunt.

(c) Reges, quibus artium momenta edisсere, aut expendere vix vacat sapientum audire consilia obstringuntur. Illis autem temporibus nemo pacis artibus præter Episcopos operam dabat. Itaque hos audiebant Reges, vt si quid esset, quod religionem posset iniicere, eius monerentur, optime id animaduertente *Hugone Grotio* Lib. II. de I. B. & P. cap. XXIII. n. IV.

(d) Witechindi stilo, quod contigit, enarrabimus: *Post hæc legati Vngarorum adierunt Regem pro solitis muneribus: sed ab eo spreti in terram suam vacui sunt reuersi. Hæc audientes Auares nihil morati cum graui, hostilique manu festinant intrare Saxoniam. Et iter agentes per Dalemanciam ab antiquis opem petunt amicis. Illi vero scientes eos festinare ad Saxoniam, Saxonesque ad pugnandum cum eis paratos, pinguissimum pro munere eis proiiciunt canem. Et cum non esset iniuriam vindicandi locus ad aliam pugnam festinantibus, vociferatione longius prosequuntur amicos.* Hæc & similia liberaliori calamo prosequuntur nouioris ætatis auctores, addentes plurima, quæ non cohærent, strenueque mentientes Brotufii, Spangenbergii exemplo, incertum vaniores, an stolidiores?

(e) Mi-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [232] - 220
PUBLIC DOMAIN

(e) Mirum videri posset, Hungaros Italiam excursionibus suis vastasse; sed est tamen certum. Alliciebant eos incolarum, Regum, ac Principum discordiæ; inuitabat soli fertilitas, attrahebant eius regionis exquisitæ deliciæ; quemadmodum id bene obseruat *Antonius Bonfinius* rerum Hungaricarum scriptor percelebris. Viam Hungari per Carinthios sibi, atque Carnos ferro aperiebant; sicque Longobardiæ non tantum vastitatem efficiebant, verum etiam in Burgundiam, quid? quod Septimaniam penetrabant. Vnde intelligi epistola potest, quam Septimaniæ Præsu'es apud *Catellum* † ad Ioannem Papam dederunt, in qua Aymericus Archiepiscopus Narbonensis, Hugo Episcopus Tolosanus, & Raynaldus Episcopus Biterrensis rogant, ne sua sibi absentia vitio daretur; quoniam omnem regionem Hungari diripuissent, neque hoc rerum statu integrum sibi sit, adire Romam, ac summum coram intueri Pontificem. Scriptæ sunt litteræ a. Ioccc xxxii.

† *Lib. I. Hist. Comit. Tholos. cap. XIII.*

(f) Non habuerunt hi barbari vnum Regem, sed Duces diuersos, quibus suo idiomate Chaganorum nomen tribuerunt, quemadmodum Tartari amplius adhuc Imperatorem suum Chamum, seu Chaganum appellant. Sub his Regulis varii exercitus prædatum exibant, inter se cæteroquin discordantes, sciffique haud raro in partes. Atque inde etiam est, quod Witechindus, aliique scriptores nullius Regis, qui toti nationi cum imperio præfuisset, mentionem faciant; quodque vno illi, eodemque tempore diuersa bella gesserint, lociscque disiuncti latrociniis operam dederint. Saltem eodem fere momento in Orientis imperium

infestis sese armis infuderunt: quod ex anonymo, qui *Theophanem* continuauit, scriptore in Romano Lacopeno n. XXXVII. argui posset, ac demonstari. Sed sufficiunt, quæ ad nostrum propositum apud Corbeiensem exhibentur: *Igitur, ait, quam potuerunt repentino impetu intrant fines Thuringorum, illam totam terram hostiliter peruagantes: ibique diuisis sociis alii ad occidentem pergebant, ab occidente & meridie Saxoniam quærentes intrare.* Causſam irruptionis in Saxoniam Luitprandus † indicat, cum sequenti Vngarorum consilia ratione depingit: *Quod si non, vt credimus, Regibus dissentit a ceteris regnum eius cæde atque immensis depopulemur incendiis: non Boioariorum, sed Saxonum, vbi Rex ipse est, primo fines occupemus, vt si forte (quod non speramus) congregare exercitum velit, neque de Lotharingia, neque de Sueuia, neque de Boioaria ei mature possit occurrere* &c.

†*Lib. II. cap. VII. p. 107. edit. Reuber.*

(g) Idem Luitprandus, quamquam temporum rationes turbet, hoc tamen momentum, quod ceteri omittunt, curate describit: *Rex Henricus grauissima valetudine detinetur, & Hungarorum ei aduentus proxime nunciatur. Vix finetenus verba nuncians audierat, cum directis per Saxoniam nunciis post triduum quotquot poterat capitali sententia se adire præcipit. Validissimo igitur per quatriduum collecto exercitu (est enim Saxonum mos laudandus atque imitandus, quatenus annum post vnum atque duodecimum nemini militum bello deesse contingat) etsi corporis inualidus viribus, tamen mentis vigore animatus, prout valuit equum adscendit, atque collectis in vnum copiis huiusmodi verbis ad pugnandi rabiem excitauit* &c.

(h) Huc

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [234] - 222
PUBLIC DOMAIN

(h) Huc trahenda est Witechindi narratiuncula: *Sed Saxones pariter cum Thuringis congregati inito cum eis certamine cæsis Ducibus, ceteris illius exercitus occidentalis per totam illam regionem errare fecerunt. Quorum alii fame consumti, alii frigore dissoluti, alii autem cæsi vel capti, vt digni erant, miserabiliter perierant.*

(i) Coniungendi sunt *Witechindus* ac *Luitprandus*, vt, quod vni deest, suppleat alter: quodque hic obscurius extulit, ille paullo clarius ostendat. Et *Luitprandus* sane Merseburgum appellat ciuitatem obsessam, quam Witechindus ne nominauit quidem. *Gobelinus*, nescio quod Iechenburgum, cui Henrici soror fuerit inclusa, in medium adfert. Itaque haud temere *Ticinensis* sermonem sectabimur: *Rex*, inquit, *nonnulla his similia dicere cœperat, quum volipes nuncius Hungaros in Meresburgo, quod castrum in confinio Saxonum, Thuringorum, & Slauorum esse nunciabat* &c.

(k) De hoc Widone Corbeiensis verba memoratu digna videntur: *Qui autem in oriente remansit exercitus, audiuit de sorore Regis, quæ nupserat Widoni Thuringio (erat namque illa ex concubina nata) quia vicinam vrbem inhabitaret, & multa pecunia ei esset, auri & argenti, vnde tanta vi vrbem expugnare cœperant, vt nisi nox visum pugnantibus impediret, vrbem caperent.* Ista *vrbs vicina* sine dubio Merseburgum fuit, quod ex *Luitprando* liquido cognoscitur, communique traditione constat, qua tam insigne prælium iuxta illud oppidum esse dicitur commissum. Alia, eaque sat grauia indicia suppeditabimus postea.

(l) Luitprandus: † *Victos interea Hungari si oppugnari de-*

† *Lib. II. cap. IX. p.* 107.

debeant ſciſcitantur : quumque ab his non aliter poſſe fieri teſtaretur, exploratoribus directis, ſi hoc verum eſſe poſſit, exquiritur. Profecti denique exploratores Henricum Regem immenſo cum exercitu iuxta præfatum oppidum Merſeburgum contemplantur &c. Adiicit nonnulla Witechindus, quæ non ſunt negligenda. *Ea vero nocte audientes de caſu ſociorum regisque ſuper eos aduentu cum valido exercitu: nam caſtra metatus eſt iuxta locum qui dicitur* RIAEDE *timore perculſi relictis caſtris more ſuo igne fumoque ingenti agmina diffuſe collegerunt.* Nunc tantum indagandum eſſe puto, vbinam locorum ac gentium reperiatur Riaede *Vitechindi*? Et a Brotufio, Pomario, aliiſque obſcuris atque humilibus ſcriptoribus nihil adfulgere lucis ingenue fatemur. Sunt enim hi homines in vaniſſimorum fabulatorum claſſe merito ponendi, ab omni ingenio, ac iudicio vacui, pueriliter loquaces, nugiuenduli, ruſticuli interdum; atque adeo denique inconditi, vt pæne deſipere videantur. Quod ſi bene ſuſpicor, hariolorque, Corbeienſis Riaede Röſtſchen eſt, quod Geographorum tabulæ prope Merſeburgum oſtendunt. Negantibus temere, ac diſſentientibus ſine cauſſa iterum inculcamus, atque iterum, coniecturas a nobis proponi, pro quibus ad internecionem nemo certabit prudens.

(m) Ita enim Ticinenſis: *Haud mora: bellum incipitur, atque ex Chriſtianorum parte ſancta, mirabiliſque vox* Κύριε *: ex eorum turpis & diabolica hui hui frequenter auditur.*

(n) Qui vexillum imperii aquilis ſemper ornatum, ſignatumque ſtatuunt, paullulum hic, credo, ſubſiſtent. Neque enim eſt ita. Nam ſicuti Franci Michae-

Michaelem Ἀρχάγγελον tamquam regni ſui ſtatorem ſumma religione coluerunt; ita etiam Germaniæ ſeu Franciæ orientalis Reges ac Domini eumdem tamquam Ἀρχιστρατηγὸν omni veneratione ſunt proſecuti, eiuſque effigiem ſuis præferri exercitibus iuſſerunt. Quod inprimis de Henrico noſtro, eiuſque filio Ottone litteris, memoriæque *Witechindus* prodidit. Et de poſtremo quidem: *In quinta legione*, inquit, *quæ erat maxima, quæ & dicebatur regia, ipſe Princeps vallatus lectis ex multis militum millibus, alacrique iuuentute, coramque eo Angelus, penes quem victoria, denſo agmine circumſeptus.* Atque hunc Archangeli cultum vero a Græcis Franci, Teutoneſque a Francis videntur accepiſſe; quemadmodum erudite, ac ſapienter oſtendit *Iacobus Baſnagius* ‡.‡ Ipſe ſane Iuſtinianus tria huic cœleſtis militiæ præfecto templa conſecrauit; quæ ordine recenſet *Procopius Cæſarienſis* de Aedificiis †, vt imperatores obtegam ſilentio; qui id ſibi nominis frequenter adſciuerunt. In Gallia tempore *Auiti*, qui Viennenſis eccleſiæ Præſulem ſæculo egit VI. † primum eidem genio fanum dedicatum eſt; iſque, quem nominauimus, Epiſcopus ſolenni illud cærimonia inaugurans verba ad populum fecit; exſtatque fragmentum eius ſermonis non ſolum in operibus *Auiti*, quæ *Iacobi Sirmondi* cura prodierunt, verum etiam in Bibliotheca Maxima Patrum ††. Verba ad noſtrum propoſitum pertinentia eiuſmodi ſunt: *Adſiſtunt Angeli precibus noſtris non pennarum flatu, ſed donorum ſpiritu, quorum volaſſe voluiſſe eſt. Interque hos ſibi vindicat Michael Princeps principem locum. Quem Daniel ille ſublimis vir deſideriorum, viſionum potens,*

Hiſtoire de l'Egliſe *Liv. XXI.* *chap. II.* *p. 1248.* *Tom. II.* † *Lib. I.* *cap. VIII.* *& IX. Tom.* *II. pag. 20.* *& 21.* †† *Tom. IX.* *p. 600.*

tens, dissolutor ænigmatum, expositor figurarum hebdomadæ triplicis feruente jejunio parum fuit, ut haberet visibilem, nisi acciperet adjutorem. Quocirca etiam hic Michael noster sinceritate voti, jocunditate loci, devotione populi prouocatus adstat, conferendo magna, maxima obtinendo, conspectum diuinitatis, quo semper illustratur, huc attrahat &c. Quæ omnia propterea in medium adfero, atque scribo; vt euidentibus signis intelligatur, quinam hac potissimum religione populum impleuerit, & Francos, Allemannos ac Saxones ad eiusmodi cultum traduxerit. Quibus rite expensis nunc peruidendum est demum, considerandumque, quando aquilarum insignia in veterum monumentis occurrant; quove temporis articulo in legentium conspectum prodeant. Et scio, existimare nonnullos, inque his *Ioannem Henricum Cocceium* † virum eruditionis fama illustrem in ea opinione versari, aquilam semper imperii Teutonici, simulatque belli præcipuum insigne fuisse: quamquam probationes omittat, quæ in his rebus maxime requiruntur. Nam quod ex glossa iuris Saxonici adfertur, vix argumenti nomen meretur. Igitur alii huic inopiæ medentes vel ad Carolum Magnum, vel Fridericum Barbarossam aquilarum in nummis, publicisque sigillis initia reuocarunt: omnes peruerse; alter alterum, hic illum, iste rursus alium, vt grus gruem sequentes & exscribentes. Plerique se *Freheri* †, *Obrechti* ††, & *Cangii* ††† plumis ornarunt, æsopicæ corniculæ similes, itemque reticentes, vnde tam tenellæ, ac delicatæ sibi adhæserint pennulæ. Haud pauci eruditorum pro certo habent, nullum suppetere argumentum sat validum; nihilque adhuc

† *Iur. publ. prudent. cap. XIII. p. 247.*

† *In not. ad Petr. de Andlo. p. 111*

†† *De vexillo imperii. p. m. 74.*

††† *Differt de infer. æui numism. n. XI.*

huc in veterum annalibus esse repertum, vnde indubitate queat confici, Carolum aquilarum simulacra in publicum imperii morem inuexisse. Quæ enim *Miramontius*, *Villaneus*, *Chassaneus*, *Fauynus & Varenneus* effreni in medium audacia tulissent, merito a *Cangio* esse explosa. Quamobrem vlterius nonnulli tendentes ad Henrici III. ac IV. ætatem se mouerunt; vtpote in quorum sigillis sceptrum cum insidente aue deprehenditur. Et hæc vero auis sine dubio Iouis ales, seu aquila est. Nuper vero *Ioannes Christophorus Beemannus* † plumbeum Conradi Salici sigillum exhibuit, vbi sceptro, quod siniſtra tenet Imperator, aquila idemtidem insidet, vt in sigillis Henrici III. & IV. Merito istud rarum appellat auctor eruditus. Et ego autem vix dubitarem, quin aliorum etiam Imperatorum signacula supersint, vbi vbi lateant, ac recondita quiescant, in quibus eadem aquilæ species sceptris imposita compareat forte. Saltem memorabilis apud *Ditmarum Merseburgensem* †† locus est, ad Ottonis II. tempora pertinens: *Posthæc autem*, inquit, *Imperator omni studio ordinauit expeditionem suam aduersus Lotharium regem Karolingorum, qui in Aquisgrani palatium & sedem regiam nostrum semper respicientem dominium valido exercitu præsumsit inuadere, sibique versa* AQUILA *designare. Hæc stat in orientali parte domus, moriſque fuit omnium hunc locum possidentium ad sua eum vertere regna.* Ex quo verisimili quadam ratione concludi posse existimo, aquilam veluti imperii insigne ædium regiarum fastigio fuisse impositum, quam Germani Lotharienſe regnum obtinentes ad Teutoniæ latus orientale contorserint; Galli-

† *H. A. Part. IV. cap. III. p. 518.*

†† *Lib. III. edit. Leibnit. p. 343.*

que contra, quoties rapaces ad iſtud occupandum manus protenderunt. Hoc autem ſignum, cum iam Ottonis II. æuo in palatii Aquenſis πτερυγίῳ ſteterit, ac ſæpius etiam a poſſeſſoribus huius ciuitatis conuerſum, contortumque memoretur; relinquitur ſane, vt ante Saxonicorum Regum ac Imperatorum tempora eidem fuerit adfixum, impoſitumque. Poſſet aliquis diuinare, ab ipſo magno Carolo iſtam Aquiſgrani collocatam eſſe figuram, inprimis cum conſtet, eum hanc ciuitatem orbis æquare capiti conſtituiſſe. Sane vero Alcuinus, quem Henricus Caniſius edidit, auctor Caroli M. certe æqualis, tametſi ab Alcuino foret diuerſus, Aquas non vicum appellat, aut villam; ſed *magnam, & latam & excelſam vrbem, altam Romam ſecundam & venturam Romam*; quin ipſe Imperator Maximus ædes, quas ibi condidit, Patriarchii Lateranenſis in vrbe Roma exemplo, Lateranas nuncupauit. Produxit hanc in rem *Hadrianus Valeſius* † Chronici Muſciacenſis teſtimonium, quod ad a. Ɔccxcvi. reperitur: *Redierunt ad Regem Carolum ad Aquis palatium. Nam ibi firmauerat ſedem ſuam: atque ibi fabricauit eccleſiam miræ magnitudinis, cuius portas cancella fecit ærea, & cum magna diligentia, & honore (vt potuit, & decebat) in ceteris ornamentis ipſam baſilicam compoſuit: fecit autem ibi & palatium, quod nominauit Lateranis, & collectis theſauris ſuis de regnis ſingulis in Aquis adduci præcepit, fecit idem & opera multa & magna in eodem.* Verumtamen vereor, vt aquila, cuius meminit Merſeburgenſis illa Caroli ſit. Legimus enim in Annalibus Bertinianis ††, *Nordmannos Aquenſe palatium, vbi in capella Regis equis ſuis ſtabulum fecerunt,*

† *Notit. Gall. p.* 28.

†† *Ad a.* Ɔccc LXXXI

cerunt, *incendisse*: nisi forte leni interpretatione inflectas verba, dicasque, incendisse quidem, hoc est ignem, faceſque subieciſſe, & vastasse, vt habent *Fuldenses*, non autem combussisse, atque in cineres redegisse. At licet interea expeditum foret, itidemque veritati conforme, aquilam Teutonici, ac Francici quoque regni insigne fuisse; est tamen, manebitque subobscurum, ecquando & vtrum vexillis etiam sint aquilæ intextæ? Valde enim eo propendeo, statuisse hic Reges pro arbitrio, nec stabilem semper morem in his rebus tenuisse; donec Fridericus Barbarossa, aliique insequentes Reges aquilas quoque militari imperii signo, hoc est, præcipuo, seu primario vexillo, quod nonnunquam bannerium vocant, intulerint. Verumenimvero biceps aquila recentioris originis est, quidquid illepidi quidam scriptores in contrarium garriant, effutiantque. Sat scio, ante Wenceslaum ne quidem in signaturis eiuscemodi bicipitem aquilam reperiri. Dico Wenceslaum. Nam vulgauit tale huius Regis sigillum laudatus a nobis Becmannus, luculenter eos confutans, qui Sigismundo Wenceslai fratri eius rei primordia adscribunt.

(o) Subiiciam tandem, quæ adnotauit de postremo prælio Witechindus: *Rex vero postera die producens exercitum, exhortatus est, vt spem suam diuinæ clementiæ committerent, diuinum sibi auxilium, quemadmodum in aliis præliis adesse non dubitarent. Communes omnium hostes esse Vngaros: ad vindictam patriæ, parentumque solummodo cogitarent. Hostes cito terga vertere vidissent, si viriliter certando persisterent. His optimis verbis erecti milites, Imperatoremque in primis,*

mis, mediis, & vltimis versantem videntes, coramque eo angelum, (hoc enim vocabulo, effigieque signum maximum erat insignitum), acceperunt fiduciam, magnamque constantiam. Rex vero veritus est, quemadmodum euenit, vt hostes viso milite armato fugæ statim indulsissent, misit legionem Thuringorum cum raro milite armato, vt inermes prosequerentur, & vsque ad exercitum protraherentur. Actumque est ita: sed nihilominus videntes exercitum armatum fugerunt, vt peracto milliario vix pauci cæderentur, vel caperentur. Castra vero inuasa, & omnis captiuitas liberata est.

(p) Refert id Rhemensis ad a. Ɔcccccxxxiii. *Hungari*, scribit, *se in tres partes diuidunt, quorum pars vna Italiam petit, alia Henrici terram trans Rhenum invadit, contra quos profectus Henricus cum Boioariis & Saxonibus, ceterisque quibusdam sibi subiectis omnibus, omnes vsque ad internecionem sternit, quorum triginta sex millia cæsa referuntur præter eos, quos absorbuit fluuius, & qui viui capti sunt.* Meminit hic *Frodoardus* Boioariorum, de quibus & *Witechindus*, & *Luitprandus*, & ceteri fere libelli silent. Putauit *Brunnerus* †, hanc περίφασιν dubiæ fidei auctoribus deberi, Fabricio, Ruxnero, Modio; quorum postremi totam aciem variis pigmentis, tamque ineptis coloribus delinearunt; tot Comitum, Dynastarumque nominibus excogitatis, ac fictis, vt, præterquam insulsissimis, id persuaderi queat nemini. At deprehendimus tamen nunc ex Frodoardo, Boioarios in auxilium Regi suo venisse, ac cum equitatu eidem

† *Virt. & Fort. Gent. Boi. Part. II lib. II. n. IX. p.* III.

eidem operam nauaſſe. Quod vnum ſane *Brotuſius* ex vero ſcripſit. Eſt enim, vt ille ait, probabile, Boios tum demum aduolaſſe, cum prope Merſeburgum inſtructæ acies conſtitiſſent. In ceteris fere omnibus impudentiſſimo mendacio veritatem commaculat, maxime cum vltra CL. hoſtium millia cæſa, profligata & capta calamo ſcribit vaniſſimo. In priori prælio ſolos cum Henrico Saxones fuiſſe, Thuringoſque fere *Gobelinus* perſuadet: ſed qui tamen numerum eorum ad tam exiguam redigit manum, vt fidem, quod ait, ſuperet; niſi quidem, quod omnino eſt credibile, equitatum tantum indicat; ac pedites inter ceteros omiſit. Silentio præteriri non debet, Merſeburgenſe hoc prælium omnium ampliſſime ab Clariſſimo *Paullino*† eſſe deſcriptum: vt qui Veterum Commentarios diligenter non tantum evoluit, verum etiam quamplurima cum iudicio eruit; quæ apud alios obſcura caligine involvuntur. Nam quæ ab *Hulſio* de Henrico Aucupe Hungarorum prope Martisburgum Victore in publicum emiſſa diſſertatio eſt, meis nondum oculis luſtraui.

† In der künftigen Zeit Lüneb. Luſthaul. *Part. II. them.* XXXI.

(q) Non habent Hungari Hiſtoriarum auctorem antiquum, qui cum Germanicis queat componi. Vnde mirum videri non debet, miſceri ab recentioribus quadrata rotundis. Tædet me in priſcis *Thurozii*, qui Conradum I. Regem tuba ab Hungarico Duce caput percuſſum adſeuerat, vt ſpiritum reddiderit. De clade in Saxonia accepta plane ſilet. *Ranzanus* vel confuſe cuncta recenſet, vel maxime memoranda omittit. *Abrahamus Backſchay* vetera neglexit: *Rewa* a Stephano demum incipit, Solus *Bonfinius* remotas, & vetuſtate obru-

obrutas res attingit; nec ſine acumine cauſſas ſæpe obſcuriſſimas feſtiuo ſtilo euoluit, in hoc ſolum culpandus, quod, quæ ad gloriam militarem ſuorum pertinent, immodice laudet, atque extollat: clades vero acceptas vel ſilentio inuoluat, vel nimio plus deprimat. Quis namque perſuadeat ſibi toto hoc Saxonico bello trium Hungaros millium iacturam feciſſe? Itaque merito cenſoriam *Conringii* virgulam ſenſit; nec iniuria ab aliis & dictum eſt, & obſeruatum, venalem Aſculanum habuiſſe calamum. Nam genitale *Bonfinii* ſolum Aſculum fuit; atque is vero Hungaricarum rerum Commentarios Matthiæ Coruini Hungariæ Regis impulſu ac iuſſu confecit.

§. XXXII.

Pleraque, quæ recenſuimus, anno ↃↃↃↃXXXIII. videntur eſſe geſta; nonnulla ad principium (r) inſequentis anni pertinent. Quibus quidem Henricus tantam nominis famam conſecutus eſt, vt patriæ pater, vt Imperator a populo, purpuratiſque vnanimi voce merito appellaretur. Superauit enim paternos honores; æquauit auitos quoſcumque, pluribus victoriis & maioribus præliis inſignis, quam qui eum anteceſſerunt: cautus ac promtus, eoque Fabio maior; qui ſicut ingenio cunctator; ita alacritate inferior fuit. Igitur parta pace, gratiiſque exſultantibus DEO perſolutis, ac argenti, quod Hungaris pendebatur, pondere templis addicto, militibus ex præda ſatis locupletibus, (ſ) per lætam victoria Saxoniam in occidentalem plagam (m) contendit; quo ſic Lothariorum regno propior foret. Et ibi namque Viromanduorum Comes Heribertus cum Rudolpho,

dolpho, Rege atque Hugone apertas inimicitias gerebat; & Aucupis auxilio noue implorato hunc vt libertatis ſuæ defenſorem reſpiciebat, tutoremque fidelem. Turbauit hic Nicolaus Schatenus nonnulla; nec præteritarum rerum memoriam ſuis, vt decebat, temporibus (n) adſignauit; memorabili Regum conuentu temere omiſſo, in quo Rudolphus Galliæ, itemque Rudolphus Burgundiæ, (cui ſacram olim lanceam (o) Henricus extorſerat) Reges, multis ſtipati Proceribus, una in colloquium deſcenderunt, vt quæ orta ſunt diſſidia, collatione reciproca finirent. Habemus hanc in rem Witechindum (p), ac Frodoardum (q) teſtes omni exceptione maiores, qui Heribertum cum Rudolpho Franco, ac Boſonem cum Henrico in concordiam referunt reductos, exemplo ad poſteritatem inſigni: non omnes Principum congreſſus ſpem fallere, ſæpiuſque, quæ maxime videntur impedita, conſilio, ac arte ſermocinantium expediri.

(k) Vt ita computemus, Corbeienſis narratio perficit, qui Hungaros fame, ferro, FRIGORE memorat confectos. *Coſmas* vero Pragenſis eodem, quo nos, pacto rationes ſuas init, cum anno Ɔccccxxxiii. inuaſiſſe Saxoniam hoſtes, ac inſequenti ſcripſit expulſos. Cum quo facile ad conſenſionem deflectas Frodoardum.

(l) Stilo Witechindi rem omnem enunciabimus: *Rex vero victor reuerſus modis omnibus gratiarum actiones diuino honori, vt dignum erat, ſoluebat pro victoria de hoſtibus ſibi diuinitus conceſſa, tributumque, quod hoſtibus dare conſueuit, diuino cultui mancipauit, & largitionibus pauperum deſeruire conſti-*

tuit. Deinde pater patriæ, rerum dominus, Imperatorque ab exercitu appellatus, famam potentiæ, virtutisque cunctis gentibus, & regibus longe lateque diffudit. Non dubium est, quin ad omnia puluinaria publicas rogationes, ac supplicationes, quas Litanias vocant Græci, decreuerit Henricus. Hæ enim tunc temporis in vsu erant, quemadmodum ex epistola *S. Bonifacii* ad *Lullum*, iisque, quæ Corbeiæ inueniuntur, exemplis Arnulphi ætate scriptis abunde elucet. Tantum ratione ieiunii notanda differentia est. Hoc enim rebus aduersis cum Λιτανίᾳ legimus iunctum: prosperis autem rebus omissum.

(m) In ea prouincia Aucupem, ac nominatim quidem Duisburgi inter summos imperii Proceres ad Ruræ Rhenique confluentes offendimus; ubi Vnnoni Bremensis ecclesiæ rectori ac duci VIII. Kalendas Iunii diploma dedit, ac commutationes, quas fecit, auctoritate sua roborauit. Eam Bœclerus † chartam apud Meibomium ac Lindenbrogium deprehendit, nec aliam Henrici supereſſe sibi sine causſa persuasit.

† *In Rebus Sæcul. IX. X. p. 262.*

(n) Refert is demum a. Ɔcccccxxxv. expeditionem contra Danos, quæque nos triennio veterum commentariis freti anticipauimus: ille *Sigebertum* secutus præpostere exponit, ac denarrat.

(o) Certum est, omniumque æqualium scriptorum testimoniis firmum, Aucupem Rudolpho II. partim minis, partim promissionibus extorsisse lanceam sacram. Id vitæ Gerhardi Bronienſis scriptor; id Sigebertus Gemblacensis; id Schwarzachensis Monachus memoriæ prodiderunt; id nemo fere veterum omisit. Præ ceteris Gemblacensis † in compendio rem retulit: *Lanceam mirandi operis, & clauis Ieſu Christi*

† *Ad a.* Ɔcccexxix.

Christi crucifixi sanctificatam, quæ dicitur primi & magni Constantini fuisse, donatam Rudolpho Regi Burgundionum, & Italiæ a Samsone Comite Rex Henricus precibus, minis, muneribus, addita etiam parte prouinciæ Sueuorum a Rudolpho extorquet, & hanc ad insigne & tutamen imperii posteris reliquit. Quibus rite perpensis, vix ambigo, quin propter hanc Sueuiæ portionem se Allemanniæ Regem dixerit Rudolphus, vt Burgundiæ, Prouinciæque. Tantum, quid acceperit, quæ oppida obtinuerit, disceptatur, ac quæritur. Et nondum ad liquidum res potuit perduci, nec perducetur, credo, donec instrumentum concessionis forte aliquando inveniatur. Interea etiam de lancea, quam inter imperii cimelia hodienunc ostentant, aliquid subnatum controversiæ est. Recenset etenim iam *Witechindus* in regiis insignibus lanceam sacram, cum Conradus Eberhardo fratri in vltimis existens illa Germaniæ pignora ad Henricum perferenda iudicasset. Cui dubio, vt satisfieret, multa sum meditatus. Imprimis autem in eam opinionem incidi, *Corbeiensem* per προλήψιν huius lanceæ mentionem feciſſe; aut etiam ab imperitis has voces librariis esse additas, quemadmodum alia non pauca in MS. codices videntur irrepsisse. Sed fac tamen, omnia in *Witechindo* sana, nihilque mendose, ac falso inueniri perscriptum, quid, quæso, impediet, quo minus per lanceam intelligamus hastam regiam summæ potestatis indicem? Quod si obiicias, lanceam illam appellari sacram, facile regero, atque repono, imperium nostrum Romano-Germanicum appellari etiamnum sacrum, epistolasque Francorum Principum, vsu omnibus notissimo, sacras esse nuncupatas. Nam

qui nonnullos scrupulus vrget, quod lancea Caroli M. liberalitate Hugonis Albi ad Anglos peruenerit, me sane neque tangit, neque discruciat. Ego enim illam, de qua *Corbeiensis*, lanceam hastam Regis puto, non autem Caroli M. vt quidam sine testibus adfirmant idoneis. Deinde prorsus non sequitur, vt ne sit Caroli, quia *Malmesburiensis* eam ad Adelstanum Anglorum Regem refert translatam. Additur enim haud temere, hastam, quæ ad Anglo-Saxones peruenerit, in bello contra Saracenos ab Carolo fuisse adhibitam. Potuit igitur supersesse alia, ac illa fortassis, qua Franciæ orientalis Reges interdum sunt vsi. Nam testimonium *Malmesburiensis* nihil aliud probat, quam hastam, qua SARACENOS NB. in fugam coniecerit Magnus Carolus, non esse penes Germanos, nec etiam fuisse. Quod quidem lubentes largimur. Verumtamen istud imprimis admiratione, ac disquisitione dignum est; quare tanta animi contentione lanceam a Rudolpho flagitauerit Auceps; quoue iure eam petierit, quaue iniuria. Video enim *Lupoldum de Babenberg* iniustitiæ labem adsperssisse nostro, quod periculum denunciauerit possidenti, minasque iactauerit, nî sibi pretiosissimus ille traderetur thesaurus. Quod quidem argumentum aliquid roboris haberet, nisi constaret, Burgundiæ Reges comiter coluisse imperii Germanici maiestatem; eoq; beneficii quibusdam vinculis obstrictos ad summum semper iuris rigorem provocare nec voluisse, nec potuisse. Cui onerosus titulus videtur iungendus, quo tale sibi ferrum comparauit Henricus, Teutonicoque imperio esse iussit sacrum. Ita enim animum semper induxi, superare amplius adhuc cuspidem, conspici-

ſpicique in imperii, quæ Norimbergæ adſervantur, inſignibus. Etſi namque *Vlricus Obrechtus*†† clare demonſtrari poſſe negat, quænam lancea inter imperii decora reſidua ſit, vtrum Caroli M. an Conſtantini, an S Mauritii: non eſſe tamen exiſtimo, quod in his rebus vel demonſtratio luce meridiana clarior exigatur, vel noua ſine neceſſitate dubia excogitentur. Quod ſi enim vera ſunt, quæ de figura, ac ſpecie illius cimelii adnotarunt *Luitprandus*, *Vrſpergenſis*, *Albertus Stadenſis*; verum etiam erit, aut ſaltem proximum vero, imperialem lanceam eamdem eſſe cum Burgundica, quam accepit Henricus; quippe ouum ouo vix apparet ſimilius, quam eſt illa vetus hodiernæ cuſpidi. Adponam Luitprandi deſcriptionem: *Rex* (Otto), inquit, *quoniam ſuis ab hoſtili exercitu circumuentis ſubuenire non poterat, recordatus populi domini, qui repugnantes ſibi Amalecitas orationibus Moyſi ſerui Dei deuicerat, protinus de equo deſcendit, ſeque cum omni populo lacrimas fundens ante victoriferos clavos manibus Domini noſtri Ieſu Chriſti adfixos, ſuæque lanceæ impoſitos in orationem dedit, quantumque iuſti viri, ſecundum Apoſtoli Iacobi ſententiam, tunc valeret oratio, res manifeſta probauit: eo namque orante cum ex ſuis nullus occumberet, hoſtes ſunt omnes in fugam conuerſi.* Et hanc vero, quia amplius illuſtrat *Schwarzachenſis* Monachus, cuius Chronicum libellum deſcripſit *Vrſpergenſis*, adferam etiam illius verba, quæ fere repetiit Stadenſis: *Burgundionum Rex Rudolphus, qui nonnullis annis Italicis imperabat, lanceam quamdam ibi a Samſone quodam Comite dono acceperat, quam Conſtantini Magni ſanctæ Helenæ filii fuiſſe dice-*

†† *Differt. de Clenodiis S. R. Imp. p. 357.*

dicebant, quæ excepta ceterarum ſpecie lancearum nouo quodammodo opere, nouaque elaborata arte & figurata iuxta medium ſpinam habuit, vtrobique quaſi feneſtram, & in media ſpina cruces ex clauis manibus & pedibus ſaluatoris noſtri Domini Ieſu Chriſti affixis &c. Iam vero *Wagenſeilii*, ſi lubet, commentationem de ciuitate Norimbergenſi euolue, ac cuſpidis iſtius delineationem ex libro MS. † perpende, in quo imperialia inſignia, ſacræque, quas ſæpius indicauimus, ac concreditas ſibi Noribergenſes cuſtodiunt, reliquiæ deſcribuntur. Inuenies de lancea ſequentia: Darnach das heilige Eiſen deß Speers / das geöffnet hat das ſüſſe Hertz unſers HErrn JEſu CHriſti / und ſo tief verwundet hat / als ihr ſehet / von dem Spitz / biß an den gulden Reif / der dann zu einem Zeichen darum geleget iſt; aus welcher heiligen Wunden das heilige Blut und Waſſer uns mildiglich vergoſſen iſt / daraus die Tauff in Vergebung der Sünden / und alle Chriſtliche Sacramenta ihrer Tugend und Krafft empfangen haben. Auch auf und in deſſelbigen heiligen Speers Eiſen iſt angehefft / der Nagel einer / damit unſer HErr JEſus CHriſtus an das Creutz genagelt worden iſt. Quibus probe circumſpectis neminem fore arbitror, qui haſtam Caroli Magni, cui talis nuſquam adſignatur ſpecies, aut ſancti Mauritii, quæ aliam idemtidem formam oſtentat, cum imperiali facile permiſceat. Erat enim hæc regni Burgundici inſigne, vt Hugo tradit Flauiniacenſis; in qua, ſi hiſtoriæ cœnobii Melicenſis, vbi adſeruatur, ac cernitur, foret credendum, *videtur impreſſa quædam Dominici ligni ſanctæ crucis portio, quam Angelus Dei impreſſit.* Vnde veriſimili ratione concluditur, Noribergenſem

† *Cap. XXIII p. 232.*

non

non esse diuersam ab altera, quam summa religione coluit Auceps, nec minori cærimonia veneratus est Otto Henrici filius. At alia vero quæstio est, ac ζήτημα plane nouum, vtrum ea, quam Germani ostendunt, cuspis Christi sanctissimum latus perforauerit; an illa Romana, aut Anicia, aut Pragensis, quas magno murmure earum extollunt patroni, commendant, itemque dilaudant. Multa enim *Franciscus Collius*† Theologiæ ac Collegii Ambrosiani apud Mediolanenses Doctor coacerauit, vt Italiæ istiusmodi decus vindicaret; multa itidem *Ioannes Ferrandus*†† congessit, vt Anicio in Galliis eius rei gloriam seruaret. Ego quid? An pro Germania forsitan animum, calamumque, intendam, ut ei centurionis Christi latus aperientis cruentum ferrum attribuatur? Sane *Balthasar Bebelius*††† in Noribergam inclinat: quasi hæc illam cuspidem tot expetitam votis possideat, custodiatque ciuitas. Verum enim vero

† *De Sang. L. IV. disp. VII. cap. I.*

†† *Disquisit. Reliq. L. I. cap. IV. Sect. II.*

††† *In Anthiquit. Euang. & Iudaic. p. 524.*

Quid dem? quid non dem? renuis tu, quod iubet alter:
Quod petis, id sane est inuisum, acidumque duobus.

Itaque parum abest, quin ad hanc causam *Fontenellii*† stilum accommodem, inflectamque: *Ie suis las de decouurir les fourberies des Prêtres, & je suis si persuadé auſſi, qu'on eſt las, de m'en entendre parler, que je ne m'amuseray point à dire, comment on pouvoit faire jouer de pareilles Marionettes.* Tantum, obserues, rogo, intrasse hoc sæculo reliquiarum cultum non gradu, sed præcipiti cursu in Teutoniæ fines, in templa, in forum, in domos priuatas, quid? quod exercitus, ac ipsas Regum curias. Tædet me referre, quæ de cruce sanguine Christi repleta, inque Augiense

† *Hist. des Oracles Dissert. I. chap. XVIII. p. m. 18.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [251] - 239
PUBLIC DOMAIN

gienſe prope Conſtantiam monaſterium ſolenni ritu adlata ad a. Ioccccxxii. æquales fere omnes fabulantur ſcriptores. Qua de re belle curioſi libellum conſulant e membranaceo codice a *Ioanne Mabillonio* Annalibus Benedictinis † inſertum.

† *Tom. III. p. 699. ſeq.*

(p) Pergit Corbeienſis: *Vnde & aliorum regnorum proceres eum adierunt, gratiamque in conſpectu eius inuenire quærentes, fidem tanti ac talis viri probatam habentes dilexerunt. Inter quos Hiribertus gener Hugonis, cum ei aduerſaretur Rudolphus contra ius faſque omne Rex conſtitutus, vt ei apud dominum ſuum præſidio eſſet, ſupplicauit. Ipſe enim Rex talis erat, qui nihil negaret amicis. Perrexit igitur in Galliam Rex Regem adloquitur, & perfecto negotio reuerſus eſt in Saxoniam.*

(q) Quod in quibuſdam Witechindus obſcurius, hoc Frodoardus enunciat euidentius: *Deinde locutis cum miſſis Henrici ad eius properat colloquium, vbi etiam Rudolphus Rex Iurenſis interfuit. Pactaque inter ipſos amicitia etiam Heribertum cum Hugone* (Nigro) *pacarunt, redditis quibuſdam ſuis eidem Heriberto poſſeſſionibus. Sed & Henricus, Boſone recepto, terram, quam prius habuerat, ei ex magna parte reſtituit.*

§. XXXIII.

Dum hæc in Belgica aguntur, Monachi quoque S. Maximini iuxta Auguſtam Treuirorum, quum ædes cœnobii ſacra turbine quaſſata corruiſſet, haud paruum rebus ſuis momentum Henrici liberalitate adiecerunt. Conſtat id non tantum ex Reginonis ſupplemento (r); verum etiam tabulario, ad quod prouocat Zylleſius (ſ) eccle-

ecclesiam Theodonis villæ cum Mosellæ portorio, ceterisque vectigalibus ex regali fisco iisdem indultam adfirmans. Adeo locus antiqua religione venerabilis Regi pio, felicique curæ fuit, cordique. Eadem namque pietas illum permouit, vt collapsam illic disciplinam in meliorem statum reponeret, ne fas omne, neu honestas, neu vitæ sanctimonia, neu omnis denique animi moderatio concideret. Ad quod perficiendum Ogonis industria delecta est (t), quem sicuti Sigehardus Monachus, suppar huic ætati scriptor, magnis laudibus prædicat; ita vicissim omnis generis corruptelas, sacerdotumque praua consilia, atque abdominis voluptates ex veritate depingit (u). Non est dubitandum, quin Henricus, veluti castus religionum tutor, plura probitatis suæ exempla reliquerit, quæ sæculi infelicitate vel non fuere ad posteros propagata, vel temporum etiam iniuria pessum iuere. Minimum hoc Ditmari Merseburgensis testimonium (x) verisimillimum efficit.

(r) *Ecclesia*, inquit †, *S. Maximini turbine cecidit, sed clementia Regis Monachis reparata.* † *Ad* a. Ɔcccxxxiv.

(s) In defensione Abbatiæ imperialis S. Maximini p. 74. cum quo Browerus consentit Annal. Treuirens. Lib. IX. p. 451.

(t) Appendix Reginonis l. c. *Ogo ante præpositus Abbas eiusdem loci eligitur: & monachi non regulariter ibi viuentes repelluntur.* Eadem vetus Menologium ab Browero adlegatum indicat: *Ogo Abbas huius loci, postea Tungrensium Episcopus, qui hoc monasterium a fundamentis reparauit, & locum istum pæne pessumdatum renouauit, & numerum fratrum ad LX. ampliauit.* Haud scio,

annon huc digitum intenderit Otto M. in augusto, quod laudatus Zyllesius† protulit, diplomate: *In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Otto diuina fauente clementia Rex. Nouerint omnes nostri fideles tam præsentes, quam etiam & futuri: Qualiter Ogo venerabilis Abbas, & reliqui fratres ex cœnobio Sancti Maximini, digna & venerabili religione insigniti nostram adierint clementiam, Germani nostri videlicet Henrici fulti interuentionis præsidio, nec non & Conradi nostri Comitis, quatenus nostræ clementiæ decretum iuxta prædecessorum Regum morem in prædicto cœnobio consentiremus illis quietem, secundum quod illorum religio & vita prætendebat, quæ diu ab anterioribus posthabita, sed auctore Deo, tempore nostri genitoris, scilicet* HENRICI *serenissimi Regis reuelata. Ipsius amore, & memoria succensi* &c.

† *Part. III. p. 15.*

(u) Vixit is sub Ogone collegio S. Maximini cum auctoritate præsidente, eumque Browerus non contemnendæ eruditionis Monachum nuncupat.

(x) *Antiquum*, ait ††, *opus Romanorum muro Rex prædictus in Merseburg decorauit lapideo, & infra eamdem ecclesiam, quæ nunc mater est, aliarum de lapidibus construi, & XIV. Kal. Iunii præcepit dedicari. Ceteras quoque vrbes ad salutem regni, & templa domino ob remedium animæ deuota mente fabricauit. --- Hic in noua Corbeia aram sancti Viti Martyris auro & gemmis variis mirifice ornauit hortatu Mathildis conuigis* &c. Clarior apud Engelhusium locus occurrit, quem, etsi *Schatenus* antiquum auctorem dixit, nos tamen recentem ac nouum nominabimus. Interea cum ad propositum pertineat nostrum, eaque contineat, quæ vetustissimi insinuant auctores, operæ preti-

†† *Lib. I. p. m. 328.*

pretium esse puto, vt in hanc quoque chartam coniiciatur. *Henricus iste*, ait, *in factis armorum strenuissimus, totius religionis amator, operibus misericordissimus, inter cetera bona fundauit in Alemannia vltra XX. ecclesias, quas & abundanter dotauit, pro dominabus sæcularibus, quæ Canonicæ nominantur, vtentes habitu Canonicorum regularium S. Augustini, nullam tamen profitentes religionem, nubunt in Domino, quando volunt. Inuentæ sunt autem pro sustentatione nobilium, pro fide Christi ab infidelibus occisorum, ne talium filiæ cogerentur mendicare, sed in illis monasteriis sustentatæ, cum ad statum nubilem prouenissent, vitam eligerent, quam vellent. Possunt enim ibidem profiteri, & perpetue manere, vel recedendo maritari.*

§. XXXIV.

Sed est tamen in laudibus Henrici illa omnium clarissima, quod, Rheno post veris primordia (y) anno Ↄcccccxxxv. transmisso, secundum vota sæpius nuncupata templis ornare Saxoniam cœpit: excitatusque a terris ad cœlestia diuina, atque æterna ardenti quodam studio animum deflexit (z). In quem censum Quedlinburgensis cum maxime Parthenonis structuram referimus, vtpote quam procerum suorum consilio, & Mathildæ coniugis instinctu post partam regno quietem ad culmen perducere sapienter constituit. Id melius nemo ἀνονύμῳ vitæ Mathildæ scriptore litteris expressit, nemo certioribus signis, nemo fideliori calamo descripsit. Vnde insuetum mihi, mirumque semper visum est, tam incondita adferri ab nouitiis auctoribus, tam

inficeta, ac ab omni denique veri ſpecie remotiſſima. Quis enim eſt fere qui Mathildam (a) non vocitet Regis Henrici filiam, nec illam ſimul illuſtrium virginum iactet rectricem? Sunt ſane, qui tumulum (b) huius feminæ ſe vidiſſe ſomniant: adeo cæcutiunt homines imperiti; adeo impingunt, qui non tam veterum, quam recentiorum, itemque vulgarium auctorum oculis vident. Quocirca meretur res, vt a principio ex veris, ac indubitatis documentis recenſio inſtituatur; ne quis impoſterum in eumdem errorem incidat, ſimilique lapſione ſeſe turpiter det. Prima igitur, quod ſcio, occaſio hæc fuit. Cum Henricus Mathildæ vxori ſpectatiſſimæ vna cum aliis prædiis, atque bonis Quedlinburgenſe oppidum (c), quod ipſe e fundamentis exſtruxerat, in dotem (d) adſignaſſet, primum illa in ſecretis colloquiis oblique, mox, vbi ſermonem ſuum non ingratum auribus ſenſit, aperte cœpit maritum ad conſecrandam Deo eccleſiam inflammare. Accedebat ad recentem cauſſam alia æque grauior, quod virgines Numini ſacræ, quæ Winethuſæ ætatem agebant, ſine Regis liberali adiumento diutius ibidem durare, regula ique diſciplina deſtitutæ commode ſubſiſtere non p terant. Ad hoc cum ſe adiunxiſſet magna procerum manus, quorum conſiliis Henricus, ac Mathilda vſi ſunt, tantum iniecere deſiderium, vt de nouo hoc opere perficiendo ſolicitius vterque cogitaret. Igitur ſolenni quadam ratione conſtitutum eſt, vt puellæ nobiles, vitæque caſtimonia eminentes Winethuſa ad Quedlinburgenſem Parthenonem tranſferrentur, ibique ad regulam compoſitæ vitam inter crebra probitatis exercitia tranſigerent (e). Cui conſilio in ſpeciem optimo ſola Die-

Diemoth Winethuſenſis Collegii Dux, neſcio quibus incitata rationibus, ſeſe initio oppoſuit; deinde vero rectius edocta lubenti animo conſenſit. (f) Et hæc prima in hoc virginum conſortio rectricis munere defuncta eſt; non autem Adelheidis (g), vt quidam ineptiunt, non itidem Mathilda, quam Aucupe natam temere pronunciant: miſcentes eam, ac confundentes cum Mathilda Ottonis M. filia, femina prudente, omniumque virtutum familia fulgentiſſima. (h) Ceterum memoriæ infigendum eſſe putamus, ſolennem cœnobii, quod Quedlinburgi ſurrexit, dedicationem Ottone demum imperante (i) fuiſſe peractam, Henrico interea hac atque illac vel excurrente, vel cum morbis conflictante; vel, quod eſt veriſimilius, templis, ædificiis, cubiculis, conclauibus, porticibus, pauimentis nondum prorſus perfectis, ac abſolutis.

(y) Exhibuit *Schatenus* literas Heriſienſibus virginibus datas a. Ↄcccccxxxv. V Idus Maji: ſed non memoratur locus, ubi fuerint ſcriptæ ſignatæque. Coniicio tamen, iſthoc in Weſtfalia, cum Rhenum tranſmiſiſſet, contigiſſe. Quod inſpicientibus ob varias cauſſas veriſimile videbitur. Integras enim infra curabo deſcribi.

(z) Nemo mihi vitio vertat, laudari a me Henricum, quod templorum ſtructuris, ac ſacerdotiis inſtituendis, eorumque opibus amplificandis operam dederit. Scio, quas noſtri iactant, querimonias: ſcio etiam non deeſſe, qui mentis ſuperſtitionem ei obiiciant, optentque, vt quidquid is ſacrorum antiſtitibus conceſſerit, quidquid etiam Diuis conſecrauerit, poſſet fieri infectum. Verumtamen igno-

ignoſcant mihi iidem, permittantque, me meo interea abundare ſenſu. Nos enim, quibus noua adfulſit lux; aliter nunc quidem rationes ſubducimus, clareque intelligimus, eiuſcemodi opera neque ad humanam ſalutem, neque ad vitæ probitatem, quæ commentitia quæuis reſpuit, exigi. At eo tempore aliter creditum eſt. Quod ſi igitur ab his rebus animum auerſum, ac alienum oſtendiſſet, non eſt ſane ambigendum, quin eum veluti profanum vniuerſi, atque ab omni religione ſecretum depinxiſſent. Ergo dilaudandum animi non fucati propoſitum eſt; quidue ſpectauerit, quidue ſit ſecutus cogitandum ac peruidendum. Cetera ſæculi vitio adſcribenda ſunt, quo eiuſcemodi liberalitas ardentiſſima pietatis ſignificatione commendabatur. Neque enim dubium mihi hæret, quin, ſi nobis quoque illo viuere æuo contigiſſet, ſimili correpti feruore eamdem fabulam luſiſſemus:

(a) Iam ſupra pag. 47. litt. x. hunc errorem deteximus, itemque ex diplomate probauimus, præter Gerbergam, Hadwidamque nullam Aucupi filiam fuiſſe. De cetero admodum nobis gratulamur *Aubertum Miræum*, qui primum in *Diplomatibus Belgicis* p. 284. vulgari de Mathilda errori ſubſcripſit, biennio poſt in *Donationum Belgicarum Codice* Part. II. p. 25. ſententiam immutaſſe, deleta Mathilda, quam publica documenta ignorant. Addo nunc *Alberici Trium fontium Monachi*, qui veterum libellos diligenter inſpexit, teſtimonium, quo omnem Mathildæ Reginæ prolem fideliter legimus deſcriptam: *Hæc*, inquit †, *habuit filios tres Ottonem, Henricum, Brunonem, & filias* DUAS *Gerbergam & Hawidem, quæ factæ ſunt in gentem magnam.* (b) Ma-

† *p. 273. edit. Leibnit. ad a.* Ɔɔcccxxxvii.

(b) Magna auiditate *Friderici Erneſti Kettneri* Quedlinburgenſis eccleſiæ hiſtoriam euolui, perſuaſus, me inuenturum, quæ magno hiatu promittuntur, ſingularia admodum, certa, indubitatiſque documentis confirmata. Sed fefellit ſpem auctor non ſatis curatus, nec tanta eruditione inſtructus, quantam negotium, quod magna ſuſcepit audacia, requirit, atque exigit. Hic igitur iuxta patrem commentitiam Mathildam putat eſſe ſepultam. Sed putat; *Henningeſio* fretus, *Reuſnero*, aliiſque triobolaribus, quos cœco ſemper impetu ſectatur. Optandum foret, vt nemo ad res geſtas ſtilo conſignandas accederet, niſi qui leges hiſtoriæ ſcribendæ intelligeret, ac æra diſtinguere noſſet a lupinis, vera a falſis, limum ab argento, aurum a ſcoria. Inde enim eſt, quod tot fabulæ omnibus diebus in ſcholas, ac animos legentium ſenſim irrepunt, nonniſi magno labore tollendæ iterum, eiiciendæque.

(c) Situm illud erat in Hartingaw, id eſt, Hercyniæ pago, quem longe lateque nouimus protenſum. Non adeo diſſimile vero eſt, fuiſſe hunc locum venationi aptum, proſpectu amœnum, ac cultu humano, ipſiuſque Regis admodum dignum. Sed eſt tamen prorſus ridiculum, illius nomen ab Aucupe demum eſſe inuentum, atque excogitatum; aut etiam Quadorum genti attribuendum. Habemus Carolingorum Regum diplomata, in quibus hæc vocula occurrit: Quadi vero, quamuis *Melanchthonis* auctoritas obiicitur, ab hoc tamen tractu longiſſime erant ſeiuncti.

(d) Adſunt bina Aucupis diplomata, vnum a. ↃↃↃↃↃXXVII. III. Idus Maii exaratum; alterum a. ↃↃↃↃↃXXIX. In priori ſequentia verba adiiciuntur, quæ in

in poſtremo non comparent: *Quidquid hereditatis in Quidlingaburg, Palithi, Northuſæ, ac Duderſteti habuit cenſus, item in villis Wafiliebe & Gudiſleiben ſitis in pago Zurrega.* Cetera conueniunt, concordantque.

† *Edit. Leibnit. p. 196.*

(e) Rem omnem ex *Anonymo* referam †: *Cum autem perſiſterent* (Henricus & Mathilda) *magna proſperitate pacis, omnipotentis Dei inſpiratione deſiderabant monaſteria conſtruere, & adminiculum præbere illic commorantibus de regiis facultatibus, quatenus ſui, ſuorumque patrum vel nepotum memoria ibidem perpetim haberetur firmiſſima. Igitur tractantibus tanti operis fundamentum, quonam ponerent loco, Principibus populi in vnum conuocatis, poſtulabant ſibi conſilium dari, in qua parte regionis hæc decenter poſſent adimpleri. Ad hæc principes reſponderunt, dicentes: intra Winitehuſum exſiſtere ſanctimoniales regulari diſciplina carentes, quæ non poſſent illic diutius demorari, ni ſuſtentarentur adiuuamine regali; & conſilium dabant in Quitilingeburc tranſferri.*

(f) Idem anonymus tradit, Henricum Diemotham ad Erfurtenſem conuentum euocatam monuiſſe, ne repugnaret, vt cum puellis, quibus præerat Quedlinburgum traduceretur, cui etiam illa in ſpeciem adſenſiſſet: poſtea vero oſtendit, quanta pertinacia eadem renuerit, reſtiteritque, donec Otto Rex cum imperio obſequium præciperet. Conſiderabimus igitur, quæ recitat Monachus: *Venit & Diemot Abbatiſſa Wineſtehuſinenſis euocata præcepto Regis, & prioris haud immemor deſiderii, poſtulabat, vt ſibi ſubditas ſanctimoniales in Quitilingeburc conſentiret tranſponi, quæ petitionem Regis gratanter accipiens, libenter id annuit.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [260] - 248
PUBLIC DOMAIN

annuit. Paullo post vero: *Tunc Regina venerabilis supra memoratam Abbatissam monasterii Winithehusinensis ad se iterum vocauit, & congregationem sibi subditam illuc transferri admonuit. Quod Abbatissa primo renuit, sed postmodum imperante eius filio Ottone consensit.* Ex his demum intelligitur, quid illa sibi in litteris Ottonianis velint verba: *Monasterium itaque Winethahusum nuncupatum, situm in pago Harerhago, in Comitia Diethmari, cum omnibus, quæ sanctimoniales antea in suum habuerunt seruitium, prædictæ congregationi in Quidalingaburg in proprietatem condonamus &c.* Primus, quod scio, hoc diploma *Ioachimus Ioannes Maderus* euulgauit: postea vna cum aliis in caussa Quedlinburgensi actis lucem sæpius adspexit.

(g) Hanc Ottonis illustris filiam Cranzius nuncupat Aucupis sororem. Non recordatur *Kettnerus* vsquam in publicis monumentis Adelheidis aliquam mentionem fuisse factam. In quo ei adstipulor. Est enim ficta, & commentitia fabula: & tamen idem multa ratiocinatur, immo garrit, vt Adelheidam & Mathildam vno eodemque tempore illustri præfuisse collegio euincat. Ego vero eidem, quod *Fontenellius*† omnibus eruditis, ex animo suadeo: *Assurons nous bien du fait, avant que nous inquieter de la cause. Il est vray, que cette methode est bien lente pour la plus part des gens, qui courent naturellement à la cause, & passent par dessus la verite du fait; mais enfin nous eviterons le ridicule d'avoir trouvé la cause de ce qui n'est point.*

† *Histoire des Oracles p. m. 22.*

(h) Hæc Mathildis matre†† Adelheida genita post obitum Diemothæ solenni, ac inusitata prorsus cæ-

†† *Conf. Vit. Mathild. p. m.* rimo-207.

rimonia Quedlinburgenſi Parthenoni eſt præfecta. Refert enim *Saxonicum chronicon* perantiquum MS. quod *Mabillonius* intenta induſtria inſpexit, *eam communi conſenſu cleri, & populi religioſiſſimæ congregationis S. Seruatii*, præſentibus Ottone patre, & Adelheida matre Imperatrice, auiaque ſua Mathilda Regina, nec non Ottone Rege fratre ſuo cunctiſque Saxoniæ Optimatibus, *non vno, vti moris eſt Epiſcopo, ſed cunctis regni Archiepiſcopis in vnum collectis a. Ɔcccc LXVI. eſſe benedictam.* Ex quo iterum inſigne multorum ſcriptorum παρόραμα elucet, qui hanc feminam anno Ɔcccccxlii ſacro regimini admouent. Nondum illa id temporis hanc ſuauiſſimam lucem adſpexit. Antea enim evidenter demonſtrauimus, Adelheidam anno demum Ɔcccccli. in thalamum Ottonis iuiſſe. Hanc ſacræ ſocietatis Antiſtitam *Witechindus* in præfatione annalium reginæ titulo ornat, more non tantum Poetico, vt ad Virgilium animaduertit *Servius*; ſed ſtilo ætati †, qua vixit, conformi: vt cetera, quibus eam condecorat, elogia omittam. Accuratius calculos ſubducunt, qui eam a. Ɔcccccxcvii Idus Februar. e viuis diſceſſiſſe, *Ditmari* auctoritate, ſcribunt.

† *Vid. Cangii Gloſſar. voce Regina.*

(i) Probat id Ottonis diploma, vnde ſupra nonnulla excerpſimus: probat vitæ Mathildis ſcriptor. Exinde vero nequaquam conſequitur, vt Henricus ab laudis huius conſortio ſit excludendus. Rectius Innocentius II. Romanus Pontifex id illi decus in publicis impertit litteris, vnde ea potiſſimum notauimus: *Sicut*, inquit, *geſtorum veterum monumenta declarant, Quintiliburgenſe monaſterium ab egregiæ memoriæ Henrico Rege fundatum eſt, & ſub cenſu annuo vnius libræ argenti*

Beato

Beato Petro ſoluendo eidem Apoſtolorum Principi ab ipſo fundatore oblatum, Prædeceſſoresque noſtri ſanctæ recordationis Agipitus, Ioannes, atque Sylveſter Romani Pontifices locum ipſum in proprietatem, atque tuitionem ſedis Apoſtolicæ ſuſceperunt, & ſcriptis authenticis muniuerunt. Optandum foret, vt Agapeti II. litteræ præſto forent; inde forſitan rem omnem a principio intelrigeremus. Sed nondum adhuc ſunt inventæ, metuimuſque haud temere, ne fruſtra quærantur.

§. XXXV.

Atque ita vero me iuuat, vt illis fere contingere ſolet, qui laboribus aliquo temporis ſpatio inſudarunt, ad finem rerum ab Henrico geſtarum peruenisſe. Pauca enim poſt reditum in Saxoniam expedienda reſtant; quantumuis non ignobiliora ceteris. Credidiſſes iuuenem Regem, niſi annos paullatim auctos, & rerum geſtarum gloriam temporum interuallis ad ſummum faſtigium prouectam obſeruaſſes. Nam ſub idem fere tempus eum in ſenatu, mox in patentibus campis, iterum inter montes ac ſilvas in ſaltu Botfeldiano (k); deinde in veteri ciuitate (l), ac rurſus denique conſiliis reipublicæ ſalutaribus Erfurti (m) gnauiter intentum deprehendis. Quod poſtremum tanto ſolicitius conſiderandum eſt, quanto ſunt maiora, quæ iſthic intelligimus agitata. Ibi etenim filium Ottonem boni principis imaginem gerentem ſummis totius regni Proceribus commendauit (n): ibi de itinere in Italiam (o) ſuſcipiendo: de tyrannis exinde pellendis verba fecit: ibi Germaniæ decora, Saxonum ornamenta, Italorum fraudes,

des, atque iniurias recenſuit, concilioque inter publicas acclamationes dimiſſo ſpe plenus, procerumque ſuorum comitatu ſtipatus Mimlebium, quod in Thuringiæ, Saxoniæque confiniis reperitur, modicis itineribus contendit. Et hic autem, quamquam antiqua videbatur valetudine (p), & corporis robore, ac incolumitate vigebat, in morbum ſubito incidit, ex quo a. Ɔccccxxxvi. poſt aliquot dies VI. Nonas Iulii ex hac vita placidiſſime migravit. Vixit is annis ſexaginta, ac quibusdam menſibus; e quibus decem & ſex glorioſe regnauit. (q) In ipſo autem vitæ fine maxima inſitæ religionis, ac pietatis documenta dedit; teſtamentumque (r) cum ſingulari prudentia faciens animum ſacris expiauit, æquiſſimoque animo mortem ferendo ſine longioris vitæ deſiderio ſpiritum lubentiſſime reddidit. Defuncti corpus Quedlinburgum (ſ) tranſlatum in S. Servatii templo, quod fundarat, cum multis lacrimis, quas virtus ex oculis erepta excitabat, regia pompa, omniumque ferme Principum, & nobilitatis vniuerſæ celebritate in ſepulcro conditum. Ea ratione ex his terris abiit Rex ille clarus, & excelſus tam belli, quam pacis artibus memorabilis, feliciſſimus certe, ſiquidem felicitatis cuiuſdam particula in rebus exſtare poteſt humanis. Cum enim illuſtri ſtirpe eſſet procreatus, nulla tamen eum ſpes regiæ dignitatis, ac amplitudinis enutriuit, donec voto, ac commendatione Conradi, cum ad mortalitatis finem acceſſiſſet, regno tuendo ſeruandoque dignus eſt habitus. Quam celebris igitur, & laudanda prima pars erat imperii; tam etiam memoranda fuit poſtrema. Quæ in iuuentute animi magnitudo effloruit, ea cum

ſene-

ſenecta numquam ſane defloruit. Quatuor nobiliſſimos Slauorum Duces, quatuor exercitus fudit, fugauitque: Lothariorum Regulum cepit: Gallos perterruit: Hungaros deuicit: Germaniam tributis liberauit: hoſtes vectigales fecit: Gormum Danoſque vltra Eidoræ flumen emouit: regnum munitionibus firmauit: Saxoniam, ſi non marmoream, ſaltem lateritiam, ligneamque (t) fecit: Rex acer, animoſus, artiumque regnandi longe peritiſſimus. Quare minime dubito, quin, ſi ille per ſe ſigna in Italiam intuliſſet, omnem Longobardiam, Etruriamque facillime fuiſſet ſub imperium ſubditurus. Sed ab hoc conſilio partim temporum iniuria, partim morbis, morteque eſt reuocatus. Itaque Henrici incredibilis felicitas non tam fortunæ beneficio, quam diuino præſidio, quod virtutibus eius adſiſtebat, eſt attribuenda. Fuit enim natura benignus, religione pius, animo excelſus, infeſtus improbis, bonis propitius, iuſtitiæ cupidus, in conuiuiis iucundus; ſed tamen in ſumma grauitate comis, & perhumanus. Fauebat idem plurimum militibus; cum quibus honeſtiſſimis ludis operam dabat, frequentique venatione, cum a negotiis erat otium, ac ludis equeſtribus exercebatur; Princeps corporis magnitudine eximius, formaque regia cunctis tremendus, ac venerabilis. (u) Quamobrem illa Saxonum (x) fortitudo Aucupiis inprimis induſtriæ, quæ illos exercuit, & militaribus diſciplinis inſtruxit, & promtos, & alacres ad rem gerendam exhibuit, adſcribenda eſt: ab eo omne animi robur in Bernhardum, Thiatmarum, Wichmannum, Hermannum, tanquam a perenni fonte, redundauit. Ceterum ſi quid eiuſmodi, vt ſunt

res humanæ, quod reprehenſione aliqua dignum videatur, in ſe admiſit; ſi ob concretionem corporis in animam transeuntem plus paullo iracundia (y) efferbuit, ſiccatiſque poculis (z) vini non adeo parcus fuit; voluptatum illecebris, antequam lubricum iuuentæ exiret, nonnihil deditus; tamen hæc omnia vix impediunt, quo minus Rex multis virtutibus ornatiſſimus, & immortali memoria conſecrandus iudicetur.

(k) Ανώνυμος vitæ Mathildæ ſcriptor quum Procerum retuliſſet conuentum, in quo de Quedlingenſis eccleſiæ erectione ac fundatione verba fecit, ſtatim ſubiicit: *Poſt hæc Rex Henricus adiit Bathfelthum, quo ſæpiſſime exercùit venatum.* Minime dubitamus, quin hic locus in Haſſiæ confiniis reperiatur, Witikindi Saxoniæ Ducis æuo iam cognitus, memoratus quoque ab Stederburgenſi in Henrici Leonis hiſtoria, exacteque a *Nicolao Schatenio* in Annalibus Paderbornenſibus deſcriptus.

(l) Altſtedium in Thuringia intelligimus: vbi Heriuordienſium virginum Collegio hoc a. Ɔcccccxxxiv IV. Idus Octobreis liberam eligendi gubernatricem poteſtatem peculiaribus tabulis conceſſit.

(m) Pergit vitæ Mathildæ auctor: *Ibi* (Bathfeldi) *paucis diebus interpoſitis languore correptus vi febrium nimium laborauit, ſed, parumper ſedato infirmitatis dolore, inde ad Erfordiam iter direxit, ibique cunctos regni Principes conuenire præcepit, vt ſe inuicem coadunarent, quem ſuorum filiorum regale ſolium poſſidere eligerent.* Video iam, ac deprehendo, quam antea nondum tetigi, cauſſam, quare *Reginonis* appendix, ac *Lambertus Schaffnaburgenſis*, aliique Erfordienſem Synodum ad a.

ad a. Ioccccxxxv. reuocauerint. Confuderunt illi sine dubio publicum hunc regni conuentum cum Episcoporum concilio, quod a. Ioccccxxxii. cognouimus coactum.

(n) Plerique, cum de hac caussa agerent *Witechindi* Annalibus freti, ita rem denarrarunt, vt vitæ suæ postremo, extremoque anhelitu commendasse proceribus Ottonem videatur. Ita enim ille: *Cumque sè iam grauari morbo sensisset conuocato omni populo designauit filium suum Ottonem Regem, ceteris quoque filiis prædia cum thesauris distribuens, ipsum vero Ottonem, qui maximus, & optimus fuit, fratribus, & omni Francorum imperio præfecit.* Quis vniuersa itemque singula non vno quasi momento credat peracta, simulatque sibi persuadeat, fuisse facultati, Aucupisque iudicio atque arbitrio relictum, quem filiorum regno præficeret? At patet nunc certo, perspicueque intelligitur, Erfurti primum imperii ordines suffragii ferendi caussa coiuisse, iamque id temporis primarios Duces præconsultasse. Vt enim eo pacto rationes conficiam meas ἀνόνυμος peruincit: *Post excessum*, inquit, *inclyti Regis ductores primi conueniebant, & de statu regni consilium habebant. Perplures diiudicabant Henricum regno potiri, quia natus esset in aula regali, alii vero desiderabant Ottonem possidere principatus honorem, quia ætate esset maior & consiliis prouidentior.* Obscurum est, vtrum sub ductoribus etiam Pontifices comprehendat, quorum sane auctoritas fuit permagna. Veterum annales hic verbis nimium adstricti sunt; eoque in obscuritatem incidunt, quod amputata oratione, & abscissa vtuntur. Atque hinc caue, existimes, septem

tem Electorum in illo loco originem latere. Dissimilia sunt: Duces primi inter ornatissimos homines summo splendore fuerunt; ergo soli, exclusis ceteris, rerum summam obtinuerunt. Vtamur potius collatione æqualium auctorum; comparemus ac contendamus eorum dicta: *Wipponem* ConradoSalico supparem intueamur, atque hunc quidem ex illis, illos ex aliis appositè explicemus, cordateque. Ceterum exploratæ videtur veritatis, regnum suffragiisPrincipum, non autem successionis lege fuisse delatum. Vnde oleum & operam perdunt, qui nunc copiosè nimis disceptant, vtrum Ottonis, an Henrici ius in regnum maius fuerit, potiusque? In hac enim caussa non tam eorum, qui eliguntur, jura, quam eligentium suffragia & merita sunt considerandа. Quare etiam hoc loco prouidendum, ne ante æqui atque iniqui ventiletur quæstio, quam de consuetudine, quæ in Franciæ orientalis, seu Teutoniæ regno tunc temporis viguit, exactissime constiterit. In quo *Grotius* †, ni fallor, a recto deerrauit.

† *Lib. II. de I.B. & Pac. cap. VI. §. XXVIII.*

(o) Witechindus rotunde: *Perdomitis itaque cunctis circumquaque gentibus, postremo Romam proficisci statuit, sed infirmitate correptus iter omisit.* Ditmarus Merseburgensis ita rem narrat, vt *orationis* caussa Romam contendere voluisse Henricum existimes. Quod nec mihi tamen, nec aliis persuadebitur. Igitur inuestigandum esse ante omnia reor, quo obtentu hanc ille expeditionem suscipere potuerit? Sunt enim, qui dubitent, ei aliquid in hoc regnum iuris fuisse; sunt, qui DEO, hominibusque approbantibus illud deliberatum, decretumque contendant. Vtri accedamus parti

difficile est dictu. Verumtamen si, quod res exposcit, enunciandum, pependit id sane ab Procerum ciuiumque arbitrio. Quod si enim Germanis, excusso Caroli Crassi imperio, eligere Arnulphum, eumque suffragiis cooptare in Regem fuit integrum, nihil certe impedit, quo minus idem licuisse adfirmetur Italis, Romanisque. Quibus perperam opponitur, videri Arnulphum Carolorum prosapia procreatum. Est namque alibi iam a nobis ostensum, fuisse hunc principem genitum vtcumque, pelliceque ortum. Constat deinde etiam Berengarium, itemque Guidonem genus suum retulisse ad Francos, stirpemque Caroli. Isthoc *Hadrianus Valesius* in notis ad incerti auctoris carmen de laudibus Berengarii luculentis argumentis demonstrauit. Quocirca si progeniem respicias, æquali eos iure polluisse adfirmandum est; si populi suffragia, meliori. Et quamuis vero Arnulphus quoque Italiæ regnum ambiuerit, ac Imperatoris Romani titulum sit nactus; non est tamen obscurum, prius Berengario seniore eum in auxilium vocante: posterius Formoso Pontifice, populique Romani proceribus annuentibus fuisse factum: vt taceam Ioannem IX. eiusdem Imperatoris † vnctionem veluti barbari cam, declarasse irritam; ac confirmasse Lamberti, qui Widonem agnoscebat patrem. Ergo, si quam habuit Arnulphus iuris speciem, habuit sane Italorum arbitrio: Ludouicus autem filius titulo non tantum abstinuit, insignibusque; verum etiam re caruit. Vnde vix intelligo, quæ hic coaceruauerit *Ioannes Schilterus* † vir clarissimus. Ita enim is incessit, eoque pacto rationes subduxit, vt crederes, Carolum Crassum transmisisse imperii

† *Vid. Labbeus Tom. IX. Concil. vbi decretum.*

† *De Libert. eccles. Germ. Lib. III. cap. III.*

Romani ac Italiæ iura in Arnulphum; hunc vero in Ludouicum filium, Germanosque, ac ipsum denique Conradum, quem errore immani pro Ludouici Infantis genero venditat; quemadmodum non minori idem fiducia Aucupem Imperatoris nomine ornat, ac Witechindi testimonium suæ firmandæ sententiæ fingit quadrare. Cui opinioni refellendæ Hermannum Conringium † arcessimus, vt cuius argumenta nonnihil habere ponderis in hac caussa videntur: *Non facit*, inquit, *profecto ad hanc rem, quod Witikindus scribit l. I. Henricum I. post victoriam Hungaricam ab exercitu patrem patriæ, rerum dominum, Imperatoremque appellatum; aut, quod secundo libro scribit, iterum de Ottone nondum Cæsare, illum itidem post cladem Hungaricam ab exercitu patrem patriæ, Imperatoremque appellatum. Fuere enim hæ tantum acclamationes militares, nec alias forte vsitatæ. Tum vero, cum Germanus miles vernacula lingua indubie sit vsus, forte haud multum absimiles voces latine sic reddidit Witikindus, sciens in hunc modum latinum militem suis olim acclamasse principibus.* Quamobrem, si qui caussatius defendere Henricum, ac publici consensus vindicem agere contendat, eo inprimis laboret necesse est, vt totius patrocinii summa in inuitatione accituque totius Italiæ ac Romanæ ciuitatis primorum collocetur. Quod ipsum etiam nequaquam vero videtur dissimile, fidemque excedere. Habemus enim pro comperto, Arnulphum contra Widonem ac Lambertum: aduersus Berengarium vero Ludouicum, Rudolphum itidem Burgundum, Hugonemque Prouinciæ Comitem intentis procerum votis esse vocatos expetitosque.

† *De Germ. Imper. Rom. cap. IX. n. 16. p. 72.*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [270] - 258
PUBLIC DOMAIN

que. Igitur iisdem incentoribus acciri Henricus etiam potuit, cuius rerum gestarum fama non Germaniam tantum; verum etiam Galliam, Italiamque† impleuerat. Accedit, quod Burchardus Sueuus †† suppetias Rudolpho Regi Transiurano tulerit, vt imperio subderet pluma leuiores atque inconstantiores Italos, id facturus neutiquam, si Henrici Regis postulata ad liquidum, vti sibi persuadet Schilterus, fuissent perducta.

† *Vid. Witechind. Annal. Lib. I. edit. Meibom. p. 638. 639.*

†† *Luitprandus Lib. III. cap. IV. Frodoard. in Chron. ad annum* Ɔccccxxxvi.

(p) Ανόνυμος: *His ita dispositis Rex Henricus† perrexit ad Memmleben secum comitantibus paucis: illic iterata est eius infirmitas, & mox mortis secuta est asperitas.* Vrspergensis, & Stadensis *Himileuiam*, Luitprandus *Himmelunam* vocant. Si Dittmaro†† fides est, Otto II. *piæ genitricis suæ instinctu, cuius gubernaculo vigebat, Mimileue, vbi pater suus auusque obiit, iusto adquisiuit concambio, decimasque, quæ ad Heresfeld pertinebant. Et congregatis ibi Monachis, liberam fecit Abbatiam, datisque sibi rebus necessariis Apostolico confirmauit priuilegio.* Ex quo Georgius Fabricius perspicue potest refelli, qui eius cœnobii originem Mathildæ sine ratione adscripsit.

† *Cap. II. p. m. 196.*

†† *Lib. III. p. 341. edit. Leibnit.*

(q) Σύγχρονοι omnes hunc annum Henrici emortualem signant, *Sigeberto* excepto, qui *Frodoardo*, & *Appendici Reginonis*, & *Mariano Scoto*, ceterisque omnibus perperam contradicit, eiusque obitum in sequentem annum differt. Quapropter recte ab *Antonio Pagio*† iudicatum est, diplomata hanc facile diremtura litem. Et vidimus vero, nostrisque oculis deprehendimus Aucupem anno Ɔccccxxxv. IV. Idus Octobreis Altstetі in Thuringia egisse: Nicolaus Schatenus†† autem litteras Ottonis Corbeiensibus datas exhibet, quæ anno

† *Crit. H. C. in A. Bar. Tom. III. p. 832.*

†† *Annal. Paderb. Tom. I.* Ɔccccxxxvi. *p. 277.*

Ɔcccccxxxvi.xvi.Kalendas Novembreis Werlæ sunt exaratæ, scriptæque. Iccirco extra dubitationem ponitur Henricum a. Ɔcccccxxxvii. neutiquam amplius exstitisse in viuis. Ceterum VI. Nonas Iulii in solis diem tunc incidit, quod vitæ Mathildæ scriptor his verbis insinuat: *Nec hoc silendum esse censeo, quare tali reuerentia custodiret, Sabbatum primo quidem propter vigiliam dominicæ resurrectionis, quæ in hac die celebratur per circulum orbis: de hinc quia venerandi* REGIS HENRICI *anima in eadem die de corpore soluta est, & ut speratur paradisi januam est ingressa.*

(r) Caue testamentum intelligas Romanum, solenne, vt fecerunt plures. Exprimit potius hæc vocula stilo æui medii, quamuis donationis, ac transactionis chartam, seu instrumentum; sic dictum, quod de ea re vel testimonium ferret, vel testium nomina contineret. Isthoc *Spelmannus*, in Glossario animaduertit, itemque *Cangius*. *Witechindus* vero his in anteceſlum perpensis, ac constitutis, idem sane innuit: *Cumque se iam grauari morbo sensisset - - - - ceteris quoque filiis prædia cum thesauris distribuens: ipsum vero Oddonem, qui maximus & optimus fuit, fratribus & omni Francorum imperio præfecit.* TESTAMENTO *ita legitime facto & rebus* &c.

(s) Corbeiensis: *Erant autem dies, quibus regnauit XVI. anni, vitæ autem fere LX. Translatum autem est corpus eius a filiis suis in ciuitatem, quæ dicitur Quedlingeburg, & sepultum in basilica S. Petri ante altare cum planctu & lacrimis plurimarum gentium.* Similia apud anonymum occurrunt, itemque in Reginonis Supplemento, Ditmaro, Chronographo Saxone, aliisque.

(t) Ad-

(t) Addi potuiſſet *argenteam*, ſi metallifodinas in Harzicis montibus Henrico Aucupi attribuendas cenſuiſſemus. Sed præter *Engelhuſium* nemo huic fabulæ calculum adiecit, nemo ſubſcripſit. Non equidem inficias iuerim, eruta ex terris eſſe metalla, viuente Henrico. Subindicat charta Sigfridi Comitis, quam vulgauit *Meibomius*, anno ɔɔcccxxxvi. perſcripta prope Grœningam in διοικήσει Halberſtadienſi ærarias exſtitiſſe ſecturas, quas metallorum primitias non inconcinne dixeris. Verum id modicum quidpiam fuit. Ceteræ diuitiæ Ottonis æuo excluſæ ſunt, vt *Witechindus*, *Ditmarus*, ac plures alii teſtantur. Commendanda hic de meliori eſt nota *Henrici Meibomii* diſſertatio de *metallifodinarum Hartzicarum prima origine ac progreſſu* Helmſtadii anno ɔɔ ɔɔcɪxxx. excuſa: vbi veterum monimenta diſputat accurate, ac fabuloſe narrata reiicit perdocte,

(u) Iterum Witechindus audiendus eſt: *Et cum ingenti polleret prudentia, ſapientiaque, acceſſit, vt moles corporis regiæ dignitati omnem addens decorem. In exercitiis quoque ludi tanta eminentia ſuperabat omnes, vt terrorem ceteris oſtentaret. In venatione tum acerrimus erat, vt vna vice quadraginta, aut eo amplius feras caperet, & licet in conuiuiis ſatis iocundus eſſet, tamen nihil regalis diſciplinæ minuebat: tantum enim fauorem pariter, & timorem militibus infundebat, vt etiam ludenti non crederent ad aliquam laſciuiam diſſoluendos.* Quæ quamquam ita ſunt, non potuit tamen impotenti temperare *Arnoldus* animo, quin ineptiis multum hunc Regem indulſiſſe ſcripſerit, eumque fere in ἀσώτοις collocauerit: quaſi vero is ſtatim in menſam vomat, & de conuiuio

auferatur, cruduſque poſtridie ſe rurſus ingurgitet, nec ſolem occidentem vnquam videat, nec orientem, qui lautius prandeat, hilariuſque cœnet. Vtinam in his rebus iudicium cohiberet pertriſtis *Arnoldus*. Vereor enim, ne laruas animo interdum proponat, ac ſibi fingat lemures, & ἀσωτίαν mente depingat, & neſcio, quam luxuriem, laſciuiamque deprehendat, quando in conuiuiis comiter, & iucunde Principes legit, videtque accubantes. Neque enim iſtos ad ſolitariorum diſciplinam, atque regulam componere fas eſt, quippe qui allio, vlpico, & cepullis contenti ſecum tantum, & phantaſmatibus ſuis loquuntur. De cetero, fateor, me ante nonnihil *Arnoldi* Hiſtoriæ Hæreticorum tribuiſſe, quam veterum monumenta excuſſerim. Nunc alia animo ſententia ſedet, poſteaquam infinitis ſcatere librum erroribus intellexi.

(x) Et hos vero Saxones, tamquam ciues ſuos, ad ſummos per Germaniam honores euexit. Eo enim Witechindus digitum intendit: *Cumque eſſet in exaltando gentem ſuam, rarus fuit, aut nullus nominatorum virorum in omni Saxonia, quem præclaro munere, aut officio, vel aliqua quæſtura non promoueret.* Idem fere Ditmarus obſeruat. *Ab hoc, de quo dixi Henrico, & ſucceſſoribus eius, vſque huc Saxones eleuati, & in omnibus ſunt honorati.* Inde poſtea ſub Henrico III. itemque IV. turbatus reipublicæ ſtatus, quod æquo animo non tolerarent Saxones euehi Sueuos, Francoſque; nec hi viciſſim moderate Saxonum ferrent principatum.

(y) Non diſſimulauit hoc vitium Rex ſub ipſum tranſitum ad mortem; cum Mathildæ coniugi longe cariſſimæ

rissimæ vltimum vale diceret. *Itaque gratiam habens*, verba sunt Henrici, quæ morienti ἀνάνυμος accommodat, *quod nos sedulo mitigasti iratum, & in omni re vtile dedisti consilium; nos sæpius reuocasti ab iniquitate ad iustitiam & sedulo monuisti vi oppresso facere misericordiam* &c.

(t) De hoc supra notauimus nonnulla.

§. XXXVI.

Potuissemus commentationi nostræ clausulam imponere, & quod plene denarrauimus, finire: sed restat reipublicæ status, nec pauca supersunt, quibus iuris publici prudentia illustretur. Quod, vt fiat interest. Igitur neminem fore putamus, qui regnum Germaniæ successionis lege id temporis delatum dixerit. Vidimus Conradi, Henrici, Ottonis (a) electiones; eorumque per procerum suffragia repetitas designationes. Sed an vero modus habendi restrictæ potestatis argumentum sit, supra (b) quæsitum meminimus, decisumque. Quocirca peruidendum est, quid contigerit, & num alia forte eius rei inueniantur sat grauia indicia. Ac nullum occurrere fatentur ipsimet, qui a nobis sese abalienant; si publicos Principum conuentus excipias, in quibus de rebus ad rempublicam pertinentibus, de bello, de pace cum cura sæpius deliberauerit Auceps. Verum enim vero quid hoc est, si hoc non leuidense adstrictæ auctoritatis monimentum est? Eiuscemodi publica concilia iam Caroli, iam Ludouici Pii, iam Germanici, iam Arnulphi ætate legimus coacta; & nemo tamen legibus eorum imperium agnouit circumscriptum; nemo

nemo exinde Principum illorum libertati vinculum credidit iniectum (c). Isthoc permittimus lubentes, surrexisse e Comitibus illustres auctoritate Duces; atque hos præfuisse integris prouinciis, vt puta Saxoniæ, (d) Franciæ orientali, Sueuiæ, Boioariæ, Lotharingiæ, (e) quæ pluribus olim Comitibus tributim videntur datæ. At neque istud quoque Regum libertati aliquid derogat. Recte enim meo iudicio perdoctus Mabillonius Proregum (f) hic imaginem videt, vicariaque (g) eos refulsisse potestate arguit. Huiusmodi vicarii Reges autem mutabantur, nec hereditario iure cunctos terrarum tractus ad posteros transmittebant. Id Burchardi, (h) ac Hermanni (i) Sueuiæ Principum, id Boioariæ Ducum (k) exempla satis comprobant. Quod si vero summis his viris in propriis bonis non licuit putare, quas regebant, prouincias, quis quæso maiestatem iisdem, quis summi imperii iura tam larga attribuat manu (l)? Cedo enim, si vir es, atque opinionis tuæ adeo certus, illum maiestatis, quo coruscabant, fulgorem. Sane vero habuit Henricus, exercuitque summum sacrorum ius, dedit in Saxonia, (m) constituit in Lotharingia (n), creauit in Sueuia (o) ecclesiarum præsules; repudiauit, qui sibi inepti, nec ad res gerendas satis videbantur idonei, atque integri: quamquam in Boioaria regali hac potestate in honorem Arnulphi abstinuit, cui peculiari, vt ostendimus, pacto eius rei arbitrium permisit, exstinguendum, si moreretur, aliquando. In ceteris, quod iure meritoque poterat, fecit; priuilegia templis, cœnobiis impertiendo, conuocans Pontifices ceterosque Antistites, vbi sæculi nequi-

nequitia, vbi morum corruptela medicinam flagitauerat; præsidendo conciliis sacris, ordinando, iubendo, suadendo, vt decet Principem Teutoniæ saluti prospicientem. Persimili ratione legum ferendarum potestas penes Henricum, non autem alium fuit. Quis enim tabulas præter Regem fixit? quis promulgauit aliquid reipublicæ salutare? Scimus potius, ac pro comperto habemus, viguisse ad hanc vsque ætatem in Allemannorum, Saxonumque terris Francorum, quæ vocant, Capitularia, (p) iisque pro re nata regia auctoritate, ac Optimatium, Pontificumque consilio aliquid interdum fuisse additum. (q) Ceteri salubriter destinata executioni dabant, aut, si quid minutum corrigendum, proque gentis, ac temporum necessitate promulgandum, illud Principis auspicio Duces, non suo arbitrio, nec reliquorum Procerum consensu excluso, statuebant. Inde vero nemo, qui rite argumentabitur, sublimem illis, ac infinitam iubendi facultatem attribuet. Quibus constitutis haud facile nunc quidem intellectu est, quo iure primarii per prouincias viri iudiciis præsederint. Vti enim omnia, quæ permanant a maiestate ad illam, veluti ad perennem fontem, referenda sunt; ita perperam aliquis animum induxerit, Marchiones, Comites, Duces propria auctoritate ius dixisse. Est potius præclare a peritis rerum (r) obseruatum, non a Comitatibus Comites, sed ab his pagos, & Comitatus esse insignitos. Quod profecto indicio videtur, has functiones non nisi Regum liberali ac nouo beneficio heredibus concessas, eoque auspiciis illorum merito tribui. Cui nequaquam refragatur, Comitatus, item-

que Ducatus feudorum numero cenſeri ; in feudis autem dominium vtile permitti ; in dominio nonnihil propriæ poteſtatis reperiri : propriam vero poteſtatem ab adminiſtratiua manifeſte diſtingui. Facile enim regero : aliud eſſe ipſum territorium in beneficium dari ; aliud ius regendi iſtud, aut iudicandi facultatem. Permiſcent hæc, & quodam quaſi aceruo confundunt plerique doctores, (f) ſibique ſine vllo argumento, ac teſte perſuadent, Duces integras prouincias, Comites pagos cum dominatu tenuiſſe. Quod nimis a veritate remotum eſt. Habuit Rex in omnibus prouinciis, quæ priuata poterat vocare, & ſua : pertinebant in Saxonia (f) nonnulla ad fiſcum, quædam in Bauaria ; (u) in Sueuia (x) itidem ; in Lotharingia (y) haud pauca. Nemo ſine priuilegio vectigal (z) tollebat, portorium nullus: flumina, metallifodinæ (aa), viæ regiæ, etiam ſiluæ (bb) interdum, etiam ciuitatum nonnullæ (cc) principalibus bonis adnumerabantur, vt inde exhibere ſe digne, ſimulac publicis ſuccurrere neceſſitatibus poſſet. Neque enim fiſci, atque ærarii differentiam noverant Teutones, quemadmodum ſapienter obſervat Ioannes Schilterus. (dd) Interea nec Duces Comites, nec Comites Dynaſtas ſibi ſubiectos, & obnoxios habebant : (ee) omnes hactenus Regem venerabantur : huic beneficia accepta ferebant, ab hoc munus, poteſtatem, ius omne deriuabant. Quod iis tantum peregrinum videtur, qui vetera nouiorum ſæculorum pede, ac modulo metiuntur. At velim, imprimant ſibi, memoriæque infigant, Ducum munus auctoritatemque Aucupis tempore per vniuerſam ſeſe prouinciam porrexiſſe, prout Metropolitani dignitas (ff) per

per totam regionem haud leue ſemper habuit pondus, habetque adhuc amplius. Quemadmodum vero nemo credit, omnem illum terrarum tractum ad imperium Archiepiſcopi pertinere; ita male rationes ſuas conficeret, qui Ducis arbitrio, dominatuique ſubiiceret cuncta, eique infinitam poteſtatem traderet. Diuerſa ſunt: Dux totam prouinciam rexit; & Dux totam prouinciam ſuæ ditionis fecit. Largimur enim perlubenter nec Comites, nec Dynaſtas, nec alios etiam ciues auctoritatem eius defugiſſe, vbi vel belli tempeſtas immineret, vel deliberandum de ſalute gentis, vel Regis imperio ſuſcipienda expeditio, vel pacis tuendæ cauſſa educendus exercitus. At ius territorii ſupremum competiiſſe eidem; ceteroſque Proceres poteſtati huiuſmodi Principis fuiſſe ſubditos conſtantiſſime negamus. Illud ceteroquin vix diffitemur, habuiſſe Duces ob muneris, quod gerebant, graue pondus certas in beneficium, ſeu *feudum* terras, (gg) quemadmodum etiam Comites, quarum compendiis fruerentur. In his dominationem habebant: hic cum imperio de bonis, fortuniſque ſuorum ius dicebant, & eminentibus ſæpe regia indulgentia iuribus vtebantur. At iſtiuſmodi tractus non totam prouinciam; ſed eius tantum partem complectebatur; nec ita vſquam Ducum formulæ fiebat, vt regia inde auctoritas (hh) pelleretur. Quæ vniuerſa eo fine obſeruamus, ac ſcribimus, vt ne quis immoderatam Ducum potentiam animo concipiat, & dum clauſa territoria ſtatuit, Henricum Regem maiora promerentem intra Saxoniæ fines, hoc eſt, vnam prouinciam concludat. Plura non dico, nec habeo quoque.

 (a) Im-

†§. IX. p. 52.

(a) Impingit hic *Conradus Samuel Schurzfleiſchius*, qui in Diſſertatione, *quid expediat imperio*†? nimis fidenter negat, Ottonem eligentium ſuffragiis imperium accepiſſe. Sine dubio conciſa *Witechindi* relatio eum in errorem coniecit. Nunc cum vita Mathildæ a *Bollando & Leibnitio* in vulgus edita eſt, vbi varia interſperguntur, quæ *Corbeienſis*, *Ditmarus*, complureſque alii ſilentio preſſerunt, aliter forte animum, ſi viveret vitam, eſſet inducturus.

(b) §. X. litt. d. p. ſſ. ſeq.

(c) Quod nullo experimento, nullaque probatione indiget. Vide tamen, quæ eruditus *Hertius* congeſſit in *Notitia veteris Francorum regni* cap. V.

(d) Si quæras, quare Thuringiam omiſerim, dicam. Fuit illa cum Saxonia ab Henrico coniuncta; adeoque ſine iudicii ἀκριβείᾳ diſputant, qui Thuringorum populum a Saxonico clamant diſcretum. Id enim nemo inficias iuit, ibitque. Potius videndum eſt, an diſiunctus manſerit. Et paret, latuiſſe ſub Saxonico. Minimum Luitprandus eum omittit: *Henrici*, inquit, *famoſiſſimi Regis, qui vt ſupra memorauimus, Boioariis, Sueuis, Lotharingis, Francis, atque Saxonibus imperabat.* Lege, quæ Caſpar Sagittarius de antiquo Thuringiæ ſtatu in Epiſtola ad Ioannem Schilterum ſtilo conſignauit, latiniſque litteris.

(e) Omiſſæ etiam a me ſunt reliquæ Slauorum prouinciæ. Hæ gentes tributum pendebant. Marchiones autem iis præfecti Saxoniæ adnumerabantur: quod contra eos inprimis notandum, qui Vandaliam peculiarem prouinciæ formam hoc accepiſſe æuo fingunt. Cuius erroris originem ſupra tetigimus. Iam vero vix peccaturos arbitror, ſi quos

quos Witechindus Saxoniæ Marchiones appellauit, ita nuncupent & ipſi. Vandalici titulus non occurrit, Itaque quæcumque dicuntur, ex rebus fictis, commentitiiſque conſtant. Hiſtoriæ vero non eſt fingere: ficta, imaginaria, opinionumque commenta delet dies.

(f) Addo inter Proregem Regis Hiſpaniarum, & Ducem prouinciæ Germaniæ id tantum diſcriminis interueniſſe, quod hic penſionis loco terras quaſdam beneficii iure poſſederit.

(g) Ne te turbet hoc vocabulum. Ipſe Eccardus Iunior † Hadwigam Burchardi II. viduam his verbis ornat loquentem: *Miror etiam imperii vicaria tam prope aſſidente, duo mei Ducatus monaſteria, Galli me equidem ſpreta, tanta miſcuiſſe infortunia.* Apud Witechindum †† vero exſtat, Bertholdum Arnulphi fratrem Boioariam PROCURASSE. Moneo ἐν παρόδῳ hanc Hadwigam non fuiſſe Burchardi I. ſed II. viduam; quamquam alii adfirmate contrarium tradunt. Fuit enim illa Henrico Boioariæ Duce nata, Burchardi thalamum ingreſſa quidem; ſed intacta prorſus egreſſa, marito ob ſenectutem, quæ ipſa eſt morbus, marceſcente. Quando Henrici Boioariæ Ducis filiam, *Eccardi* auctoritate, appello, ſatis, puto, confutari, qui in Burchardi I. manus eam conueniſſe falſo ſcribunt. Vix enim huius ætate ex ephebis exceſſit Henricus: tantum abeſt, vt cum eo coniuncta ætatem ageret vxor. Deinde valde veriſimile eſt, Hadwigam poſt exceſſum mariti Sueuorum prouinciam imperio aliquantiſper rexiſſe, quum Otto Luitolphi filius ad Boioariam in officio continendam ab Ottone II. euocaretur. Quod nî permittas, falſa ſane erunt, & a veritate longe auerſa, quæ litteris

† *De Caſib. monaſt. S. c. X. p. 649. edit. Meibom.*

†† *p. 649.*

mandauit *Eccardus*. Vbiubi enim viduæ vmquam tantam adeptæ ſunt poteſtatem, tantas opes, vt præceperint cum auctoritate, deque rebus ad prouinciæ ſtatum pertinentibus conſilia cum primoribus agitarint? Atqui de Hadwiga talia ab eodem *Eccardo* in annales ſunt relata.

(h) Nemo fere eſt, qui Burchardo primo Alemanniæ Duci non attribuat filium Burchardum II. qui poſt Luidolfi abdicationem ad gubernabula Ducatus, Ottonis voluntate, acceſſit. Id autem ſi verum eſt, ſequitur ſane, vt in demortui locum alius pro lubitu ab Henrico ſit delectus. Nam cum Burchardus a. ɔɔɔɔɔxxvi. in Italia cæſus diem obiret, Herimannus Francus Gebhardo Duce natus† prouinciam nactus eſt, vti e Reginonis ſupplemento liquet. *Herimanno*, inquit, *Ducatus Alemanniæ committitur: qui Widam Burchardi duxit vxorem.* Et quamuis vero filiam Burchardi in manus Herimanni eo pacto conueniſſe dicas, vt ſibi Sueuiæ regendæ clauus traderetur, non elucet id tamen ex verbis, quæ adſcripſimus. Et fac, elucere, an ius propterea hereditarium exſculpes? Et non putem. Ordinate enim filii ſuccedunt, non autem his ſequioris ſexus ſuboles præfertur.

†*Vid. Reginon. Append. ad a. ɔɔɔɔɔxxvi.*

(i) Notum eſt Herimanno in Ducatu Luidolfum generum Ottonis Imperatoris filium eſſe ſurrogatum. Et conſtat interea Herimanno ex poſtrema, quam habuit, coniuge, Regulinda nomine, Alaricum natum; qui Patri diu ſuperuixiſſe intelligitur. Saltem annales Eremi id non tantum, verum etiam Vitæ S. Wiboradæ ſcriptores tradunt diſerte.

(k) Arnulpho ex hac vita migrante eius equidem filii ſuo

ſuo retinere Boioariæ prouinciam arbitratu ſtuduere. Eo enim, quæ Corbeienſis recitat, reuoco: *Eatempeſtate defunctus eſt Arnulphus Boioariorum Dux, & filii eius in ſuperbiam elati regis iuſſu* (hoc eſt, conſenſu, vt recte exponit Meibomius) *contemſerunt ire in Comitatum.* (*hoc eſt recipere ab Rege Comitatum ſeu Ducatum.*) Quæ perquam male illis arrogantia ceſſit. Ceterum caue putes, Ottonem Magnum præter ius & ſas tam duram Boiis Principibus legem dixiſſe. Nemo enim ex veteribus iſtud adfirmat: nemo etiam poſterioris æui ſcriptorum acerbius aliquid, quam par eſſet, ſtatutum in illos inſinuat. Quare relinquitur, vt in more tunc fuerit poſitum, non niſi approbante, ac indulgente Rege capeſſere regionis gubernacula. Saltem Henrici S. ætate eam adhuc obtinuiſſe conſuetudinem ex vita Meinwerci † diſcimus. Quid enim, quæſo, ſibi volunt hæc verba? *Quinto dehinc proxima Idus Februarii Bernardus Dux pius Saxonicus filius Herimanni Ducit obiit: & filius eius Bernhardus, fauente ſibi Meinwerco Epiſcopo, factus* &c. Quod ſi Bernhardo filio in bona paterna, tamquam hereditatem proprio ire arbitrio integrum fuiſſet; non video ſane, quare is Meinwerci fauore, ſuorumque amicorum auxilio ad obtinendum principatum indiguiſſet? Ergo vix eſt, vt *ius* admittatur *hereditarium.*

† *pag. 524. edit. Leibnit.*

(l) Non quidem ſumus neſcii, poſſe etiam eos, qui Regum arbitrio ſortiuntur regiones, ſumma auctoritate & poteſtate ornari. Verum id facti eſt. Factum probationem expoſcit, inprimis vbi exempla in contrarium adſunt.

(m) De

(m) De hac nemo ſcrupulum mouebit prouincia; vtpote in qua imperii ſedem conſtituit Auceps.

(n) *Frodoardus* auctor eſt teſtis omni exceptione maior, Widricum Mettenſem Præſulem a. ɔɔɔcccxxvii. fatis eſſe functum: cui Henricus Rex Bennonem ſurrogauerit, ſeu Benedictum. *Ibi etiam*, inquit, *Heinricus Epiſcopium Mettenſium contemta electione ipſorum, cuidam, vt ferebatur, DEI ſeruo dedit, cognomento Bennoni.* Erat hic Benno genere Sueuus *ex ordinariis Strazburgenſibus*, vt loquitur *Reginonis* appendix: ſed qui anno abhinc ciuium furore oculis orbatus eſt, atque virilibus. Quamobrem Duiſburgi Epiſcoporum conuentum legimus coactum, in quo tanti ſceleris auctores commeritis pœnis adficiebantur. Minime dubium eſt, quin breuitas regiminis in cauſſa ſit, quare vix charta apud Metenſes exarata ab hoc Bennone ſuperet. Vnicum *Martinus Meuriſſius* in Metenſium Epiſcoporum hiſtoria inſtrumentum produxit, in quo *ſanctæ Metenſis eccleſiæ* ſe *Præſulem humilem* nuncupat.

(o) Notabilis locus eſt apud Gerhardum Preſbyterum S. Vdalrici familiarem in eius vita n. VII. *Poſt quindecim*, ait, *annos defuncto Hiltino Epiſcopo machinatione nepotis ſui Burchardi Ducis & aliorum propinquorum ſuorum, Henrico Regi præſentatus, eiuſque ſublimitate nota facta eſt deceſſio Epiſcopi, ſupplicatumque eſt, vt præfato domino Vdalrico Epiſcopalis poteſtas ab eo concederetur. Rex vero intuens herilitatem ſtaturæ illius & comperiens doctrinæ ſuæ ſcientiam, petitioni eorum aſſenſum præbens, regio more in manus eum accepit, munereque Pontificatus honorauit. His vero ita peractis hilari animo de Rege reuer-*

reuertente, & ad Augustam peruenientes secundum Regis edictum potestatiua manu inuestituram Episcopatus sibi perfecerunt. Succedente vero tempore natiuitatis Domini in die solennitatis innocentum consuetudinario ritu ordinatio eius peracta est. Vnde euidenti perquam ratione conficitur, Duces non nisi supplicando, rogando, obtestando iis esse auxilio potuisse, qui ad huiuscemodi sacram dignitatem adspirarunt. Tantum abest, vt illorum adsensio sit requisita.

(p) Fidem huic rei faciunt plurima veteris æui monumenta; præcipue vero decretum Ottonis M. Regis *datum apud Francofurt a. IↃCCCCLII. in quo* CAPITVLARIVM PRAECEDENTIVM REGVM *institutis coram positis statutum est, ne oppressio virginum, aut viduarum, vel raptus ab vllis hominibus fiat* &c. Integrum vide, itemque lege in prima *Reginonis de disciplina ecclesiastica* appendice †. Haud scio, an non inde manifestum reddatur, in id Germaniæ incubuisse Reges, vt non tam nouo præesse regno, quam vetus Francorum continuare viderentur.

† *Cap. LIII. p. 410. edit. Baluz.*

(q) Exemplum habes fere sub Ottoniani imperii auspicium apud Corbeiensem p. 644. edit. Meibom.

(r) In his numerandi sunt *Henricus Meibomius* †, & *Ioannes Nicolaüs Hertius* ††. Idem infinitæ confirmant chartæ.

† *Vid. Vindicias Billinganas*

(s) Accurate distinxit Iureconsultus consummatissimus in Commentario ad *Cod. Iur. Feud. Allemann.* cap. XLII. §. XXI. p. 255.

Tom. III. R. G. p. 41.

†† *Dissert. de Orig. & progress. special. Rom. Germ. Imp. rerumq. p. 28.*

(t) Hinc in diplomatibus Henrici, Ottonumque hæc fæpe formula occurrit: *Quidquid vero fiscus spe-rare poterit totum nos pro æterna remuneratione prædictæ ecclesiæ perpetualiter concedimus* &c.

(u) De Boioaria multi dubitarunt. At nemo amplius ambi-

ambiguum habebit, qui, quæ ab Ottonibus donata ecclesiis, & sacerdotibus sunt, acri, maturoque iudicio expenderit. Inuenitur apud *Hundium Metropol. Salisburg.* Tom. II. p. 590. Ottonis II. diploma, in quo *inferius monasterium* (Nieder-Münster) *Ratisbonense* QVORVMDAM PRAEDIORVM DONATIONE *auget, interuentu dulcissimæ genitricis suæ Adelheidæ, nec non venerabilis dominæ Iudith. Data V. Kal. Iulii a. Ioccc LXXIV. regni eius* XIII. *imperii* VI. *Actum Wormatiæ.* Iam cum res alienas vix donemus, consequitur, credo, vt ad Ottonem in Bauaria nonnulla fisci iure pertinuerint. Habeo etiam tabulas Chremisanensi monasterio in diœcesi Patauiensi datas, vnde opinioni meæ nouum robur accedit: vt diplomata taceam, quæ larga manu passim suppeditat laudatissimus *Hundius.*

(x) Habuisse nonnulla regali Henricum iure in Allemannia, illi facile permittent, qui partem Sueuiæ Rudolpho Burgundo pro lancea traditam recordantur. Aliena autem prædia & ciuitates vix externis addicuntur Principibus. Accedit, quod multis Ottones bonis Allemanniæ cœnobia ditauerint. Referam ex Christophori *Hartmanni* Annalibus Eremi † exemplum; excerpamque diploma, in quo *suggestione filii sui Luitolfi, ac Herimanni Ducis res quasdam sui iuris in villa Rætiæ Quadrauedes nominata concessit sanctæ DEi genitrici Mariæ, & S. Mauricio Martyri, ac ceteris sanctis, quorum iuge obsequium in silua & in loco Meginrates-cella ab Eberhardo Eremita cum ceteris fratribus in eodem loco monastica religione celebratur &c.* Non puto, quemquam adeo fore absonum, qui quæ Otto-

† p. 49.

Ottonis M. tempore ad publicum pertinuere generatim, æuo Henrici pertinuisse sit negaturus. Sin vero præter spem aliquis eo modo desiperet, eum pro absente habendum nemo fortassis sanæ mentis, rectique iudicii dubitauerit.

(y) Ostensum est supra, quantis beneficiis Auceps S. Maximini fratres adfecerit: similem liberalitatem Mettenses experti sunt; quod *Martinus Meurissius* copiose enumerat, quemadmodum de Treuirensibus idem amplissime præstitit *Christophorus Broverus*.

(z) Demonstrabo alias, quo modo in Danubio, Rheno, Sala, Albi, Mosella vectigalia, ac portoria sibi adquisiuerint Principes, Episcopi, ciuitates, cœnobia.

(aa) Publicauit *Schatenus* Henrici VI. Imperatoris diploma, in quo hoc sibi, Regibusque per vniuersam Germaniam ius diserte adscripsit. Quod autem huius ætate, id multo magis Aucupis sæculo fisco Regis videtur vindicandum.

(bb) Vide quæ I. N. Hertius congessit Dissertat. de Super. territ. §. XLVIII.

(cc) Ea de re supra dictum est.

(dd) Inst. Iur. publ. Lib. II. tit. I. *Iure Francorum*, inquit, *& Germanorum fiscus omnes Principis facultates continet nulla habita differentia rerum priuatarum & publicarum, cum sit vtraque in Principis arbitrio. H. Spelmann Gloss. voc. fiscus. vocatur etiam camera, & aduocati cameræ, qui fiscum administrant.*

(ee) Suppetunt in hanc rem varia testimonia; sed quibus adscribendis in re clara merito supersedemus. Ambigentibus præter opinionem expendendum relinquimus, vtrum credibile sit, beneficii nexu Comites subiectos Ducibus fuisse, quibus pagos

non nisi precario iure regendos commisere Teutoniæ Reges?

(ff) Est hoc simile *Cl. Schiltero* acceptum ferendum.

(gg) *Districtus*, inquit idem vir laudatissimus, *exercendi officii latius patuit, quam feudum Ducis atque non totus districtus ducalis, v.g. non tota Saxonia iure dominii vtilis dabatur Hermanno aut Bernhardo, sed pars eius, aut qui hodie vocatur* der Chur-Creyß: *ceterum potestas Ducalis per vniuersam extensa erat prouinciam* &c.


(hh) Superant in aurea bulla vestigia, quæ indicio sunt, Electorum quoque potestatem non vno anhelitu, sed paullatim, perque spiramenta temporum, priuilegiis hinc inde acceptis, creuisse; & ad illud, quo nunc videmus, culmen, decusque peruenisse. Vnum reliquum est, quod breuibus arbitror excutiendum. Duces, inquiunt, armis prehensis pro lubitu bella intulere, fœdera pepigerunt, in Italiam migrarunt, nec salutato Rege, nec consensu ab Henrico petito: quod supremæ, ac infinitæ potestatis luculentum sane indicium est. Ego vero facile regero, permittoque lubenter, depulsa ab illis bella, non autem illata. Ita Burchardus Rudolphum Allemanniam oppugnantem armis merito repulit: Giselbertus Regis auspicio in Lotharingia pleraque fecit: Arnulphus Hungaros irruentes publica auctoritate remouit. At fœdera eosdem iniuisse nec nego, nec repugno. Tantum disquiritur, quo iure? vtrum suo arbitrio, an alieno? vtrum Regis permissu, an contra? Tu si victoriam ambis, proba id Henrico inuito esse factum: & si de facto constet, ostende iure ab Principibus omnia censeri facta.

Diplo-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [288] - 276
PUBLIC DOMAIN

DIPLOMATA
HENRICI AVCVPIS
ALIAQVAE AD ILLVSTRANDAM COMMENTA-
TIONEM PERTINENTIA.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [289] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [290] - -

PUBLIC DOMAIN

p. 14. lit. k) ex charta Pipini

IN nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis. Pippinus gratia Dei Rex Aquitanorum. Si petitionibus seruorum Dei iustis & rationabilibus, diuini cultus amore, fauemus, id nobis procul dubio & ad vitam præsentem fœliciter transigendam, & ad æternam perpetualiter capessendam profuturum nullatenus dubitamus. Quapropter notum fieri volumus omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus, & nostris præsentibus & futuris, ... venerabilem Aruernorum Episcopum ad nostræ dignitatis accessisse clementiam, humiliterque petiisse vt monasterium constructum in honore S. Iuliani, in comitatu Briuatensi, cui quoque Canonic..... fauente, sub nostro mundeburdio, ac tuitionis ope acciperemus, acceptumque nostra defenderemus prærogatiua. Cuius religiosis suasionibus, ob Dei amorem, tanto libentius assensum præbuimus, quando id ad nostræ remunerationis præmium amplius profuturum perspeximus; præcipientesque iubemus, & iubentes decernimus, vt in supra scripto monasterio nullus Regius, aut Abbatialis, aut Episcopalis, vel Comitalis homo mansiones sine fratrum consensu accipere præsumat: neque in villabus prædicti cænobii vbicumque locatæ fuerint, quas nunc habent; vel quæ (Deo donante) aucturæ esse potuerint, ut nullus iudex publicus, nulla cuiuslibet iudiciariæ potestatis persona, aliquem distringere, aut fideiussores tollere, aut præstationes accipere, neque mansionaticos, siue paradas, aut parafredos, vel teloneum, aut pontaticum, sive cispitaticum exigere, seu aliquid quod ad publicam districtionem pertineat, agere aut inferre præsumat; sed remota procul (vt diximus) omni seculari vel iudiciaria potestate, liceat eis (qualemcumque sibi sua sponta elegerint) Aduocatum habere, ipsumque Aduocatum nemo præsumat temerario ausu distringere, vel in tortum mittere, sed nostro coram Comite palatii, Ecclesiam præli-

bati Martiris, videlicet S. Iuliani, absque alicuius inquietudine, vel morarum dilatione, liceat inquirere etiam dictis Clericis sub praetextu nostræ donationis; ac pro incolumitate nostra vxorisque nostræ Ingeltrudæ Reginæ, & pro remedio animarum Hermeingardæ quondam Reginæ, genitricisque nostræ, Thetberti ac Nebelungi Comitum patre & auo eiusdem Ingeltrudæ, & prole regnique statu libentius Dei misericordiam delectet implorare; statuere nobis, nobisque fidelibus placuit, vt qui hæc statuta a nobis firmata violare tentauerit talenti pondera, auri libras duas coactus persoluat. Quin etiam eidem monasterio donavimus, quidquid de præfati rebus monasterii ius fisci exigere poterit in integrum, in vsus congregationis ibidem Deo famulantis, vel in alimoniam pauperum proficiat in augmentum. Vt autem hoc nostræ defensionis, immunitatisque edictum validiorem in Dei nomine obtineat vigorem, manu nostra firmauimus, anulique nostri impressione subter iussimus sigillari. Signum Pippini glorioſissimi Regis. Data IV idibus Mart. anno XXIII. imperii Domini Hludouici Sereniſſimi Augusti, & XXII. regni nostri indict. XIV.

II. ad p 47. lit. (y)

In nomine Dei omnipotentis. Folckmarus novæ Corbeiæ indignus abbas, omnisque congregatio inibi Deo seruiens omnibus sanctæ matris ecclesiæ filiis salutem. Quia statuta sæpe maiorum perturbat turba prauorum & iuste possessa aliquando iniuste putantur adquisita: id circo vnanimitati vestræ notum fieri volumus qualiter quidam Comes Sifridus nomine ob spem retributionis æternæ tradidit hereditatem suam ad nostrum monasterium in pago Hardga in loco, cui vocabulum est Westergroningen sito juxta fluvium Bode, hoc est, ecclesiam ipsam cum clericis, quos ibi proprios habuit, & metallis, & quidquid in australi parte ecclesiæ intra vrbem est, & quidquid extra urbem hereditatis possidet in agris, pratis, pascuis, cultis & incultis, aquis, aquarum decursibus, pro rege glorioſissimo, videlicet Henrico, cum serena Mathilda, & regia prole Oddone, Henrico, Brun, Gerberg, Hathuwin, nec non & pro seipso vna cum coniuge Guthie, & pro omnibus suis debitoribus ea ratione, si fieri posset, vt eum

inua-

iuuaremus monasterium inibi construendum, & ut duobus monachis de nostra congregatione ipsum locum perpetuo commendaremus: quod & fecimus in præsenti: insuper & alios quatuor clericos cum eis direximus. Hæc traditio facta est, præsente Deo, coram altari sacratissimorum Christi martyrum Stephani protomartyris & Viti, nostra astante paruitate, simulque aduocato Hogero, cum aliis testibus, Luidbrando, Aged, Thiadmaro Heodwardo &c. Actum autem nouæ Corbeiæ anno incarnationis Dominicæ IↃCCCCXXXVI. VII. Kal. Iunii, id est, postridie Urbani. Indictione IX. anno *** gloriosissimi Regis.

III, ad p. 62. lit. (o)

CANONES DUO CONCILII ALTHEIMENSIS.

Hoc ibidem inuentum est de Episcopis, presbyteris, & clericis, si hereditas a domino rege, vel ab alio principe, vel amico suo, seu per hereditariam sortem sibi deuenerint vel adquisierint, donare eis liceat, cui voluerint dum viuunt pro remedio animæ ad ecclesiam quamcumque elegerunt, vel consanguineis suis, vel amicis. Si autem antea obierint, quam firmiter perfecerint, altari cui seruiunt omnia perpetuo sanctificentur, & in eis tradantur. Similiter de presbyteris statutum est. Hildepertus Maguntiensis archiepiscopus subscripsi, Ruobertus Treurensis archiepiscopus subscripsi, Vnni Hamaburgensis archiepiscopus subscripsi, Adalwaldus archiepiscopus Sardiensis subscripsi; & reliqui episcopi VII. subscripserunt, nec non & abbates cum ceteris sacri ordinis viris subscripserunt.

Monachus quem canonica electio a iugo regulæ monasticæ professionis absoluit, & sacra ordinatio de monacho episcopum facit, velut legitimus heres paternam sibi hereditatem postea iure vendicandi potestatem habeat, sed quidquid adquisierat, vel habere visus fuerat, monasterio relinquat, & arbitrio abbatis sui, qui fuerat secundum regulam S. Benedicti. Postquam enim episcopus ordinatur, ad altare, quo sanctificatur, & titulatur, secundum sanctos canones, quæ adquirere poterit, restituat.

IV. p. 68. l. (a)

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis Gerberga diuina diſpenſante clementia humilis Francorum Regina Cum omnis ſancta eccleſia &c. quo circa fidelium præſentium vniuerſitati ſimul & ſecuturorum notum ſit poſteritati, quoniam locum S. Remigii magnifici Doctoris, Francorum Apoſtoli, admodum gaudentes feliciter proſperari ac multiplici bonorum copia fortunatum haberi, ſolenniter delegantes per manus fidelis Aduocati noſtri Comitis Arnulphi legitima veſtitura cum conſilio, pietate quoque, ac benigno aſſenſu domini Ottonis Imperatoris Auguſti, tradimus S. Remigio quoddam iuris noſtri prædium in alodo, in honore S. Petri conſecratum vocabulo Marſinam, in comitatu Marſaugo, cum omnibus ad ipſum prædium pertinentibus, id eſt, Clumam & Littam cum appenditiis ſuis, Herdram & Angleduram cum appenditiis ſuis, ſuperadditis etiam rebus aliis, quæcumque ex ipſo fiſco in ius dominicum iam olim deuenerant; aſtantibus imo collaudantibus atque confirmantibus Gerardo Tullenſi Epiſcopo, atque Comitibus Emmone & Anſſrido, nonnullis quoque aliis nobilibus viris, fidentes vtique tanti patris & patroni noſtri plurimum meritis adiuuari, totumque hoc agentes pro ſalute videlicet noſtra, & remedio ſenioris noſtri piæ memoriæ Gisleberti ſuique parentum, patris ſcilicet & matris Rageneri, & Albrade, ea ſcilicet ratione, &c. ipſum autem alodum ſub omni rerum integritate, legitima exterminatione conſtat, habent manſos LXXXII. cum terris videlicet cultis & incultis, ſiluis, pratis, vineis & paſcuis, campis, molendinis, aquis, aquarumque decurſibus, exitibus & regreſſibus &c. Actum quarto idus Februarii anno incarnationis Dominicæ IↃCCC. LXVII. in præfato comitatu in villa quæ dicitur Hacta anno XXXII. regnante domino Ottone inclyto Imperatore ac Cæſare Auguſto, filio quoque eius æquiuoco regnante anno ſentimo.

Signum domnæ Gerbergæ glorioſæ Reginæ, quæ regiæ auctoritatis manu hoc ſcriptum, quod fieri iuſſit, dignanter corroborauit, & aliis confirmare mandauit.

S. iuuenis magnæ indolis Caroli.

S. Ar-

S. Arnulfi Comitis qui vice dominæ Reginæ hanc traditionem fecit.
S. Emmonis Comitis. S. Anffridi Comitis.
S. Huberti. S. item Huberti. S. Gotramni.
S. Franconis. S. Gerardi. S. Euruini. S Adelſtammi.
S. Huniconis. S. Godeleui. S. Iſaac S. Theoderici.
S. Onulfi S. Wlberti. S. Rotlandi. S. Ragineri.
Data pridie idus Februarii, manu domnæ Reginæ, & ſuſcepta a domno Abbate Hugone; qui ibi affuit cum ſuo Aduocato Emmone prædicto Comite.

V. ad p. 104. lit. (d)

In Nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis diuina propitiante clementia anno Dominicæ Incarnationis IↃCCCCXXI. anno vero regni domini Caroli glorioſiſſimi Regis Francorum occidentalium 29. redintegrante 24. largiore vero hereditate indepta 10. indictione 9. anno quoque regni domini, & magnificentiſſimi Regis Francorum orientalium Henrici tertio, inter ipſos præfatos principes vnanimitatis pactum, ac ſocietatis amicitia quæſita repertaque exordia ſumſit, prout viſa ſunt competentia. Conuenerunt enim ambo illuſtres Reges ſicut inter ſe diſcurrentibus legatis conuenerant, ſecundo Non. Nouembr. feria prima. Domnus enim Carolus ſuper Rhenum flumen ad Bonnam caſtrum, & ſtrenuus Henricus ex altera parte Rheni, & ea tantum die mutuis ſe viſibus intuentes ſuper ripas eiuſdem fluminis huc & vltra, vt ſui fideles fierent innoxii, ſacramento, quo hanc eorum conuentionem fuerant polliciti. Verum feria quarta 7. Idus Nouem. in medio Rheni fluminis ſæpius dicti principes in nauibus quiſque ſuis, in tertiam aſcenderunt, quæ anchorata in fluminis medio gratia eorum colloquii fixa erat; ibique in primo hanc ſibi viciſſim conuenientiam ob ſtatum pacis iuramento ſanxerunt ita: Ego Carolus diuina propiciante clementia Rex Francorum occidentalium, amodo ero amico meo Regi orientali Henrico amicus ſicut

ſicut amicus per rectum debet eſſe ſuo amico ſecundum meum ſcire, ac poſſe, ea vero ratione, ſi ipſe mihi iurauerit ipſum eumdemque ſacramentum, & attenderet, quæ promiſerit, ſic me Deus adiuuet, & iſtæ ſanctæ reliquiæ. Econtra Rex Heinricus eamdem promiſſionem ſacramento, & iisdem proſecutus eſt verbis ſubſequenter, vt huius amicitiæ firmitas inuioabiliter obſeruaretur.

Hæc ſunt nomina Epiſcoporum, qui cum nobilibus ac fidelibus Laicis firmitatem, quam præmemorati Reges inter ſe fecerunt, collaudando acceptauerunt, & manibus ſuis ſacramentum firmauerunt, numquam a ſe deſtruendam: Herimannus Archiepiſcopus Agrippinæ, quæ modo eſt Colonia vocitata, Rodgerus Archiepiſcopus Treuirorum. Stephanus Præſul Cameracorum, Bouo Epiſcopus Catalaunenſium, Baldricus Traiectenſium Epiſcopus. Hæc nomina Comitum: Matfredus, Erckengerus, Hagano, Boſo, Waltkerus, Iſaac, Ragenberus, Theodricus, Adalardus, Adelelmus. Epiſcopi ex parte Regis inclyti Heinrici, Herigerus Archiepiſcopus Moguntiacorum, Nithardus Epiſcopus Mimmogerneferdæ, Dodo Epiſcopus Oſnabroggæ, Ricauudo Epiſcopus Vangionum, quæ nunc dicitur Wormatia, Honwardus Epiſcopus Paderbornenſis, Notingus Epiſcopus Conſtantiæ Alemannicæ. Hæc ſunt nomina Comitum: Eurardus, Chonradus, Herimannus, Halo, Godefredus, Otto, Herimannus, Cobbo, Magenhardus, Fridericus, Faldac.

VI. p. 112. lit. (h)

Notum ſit omnibus ſanctæ Dei eccleſiæ fidelibus, & noſtris, præſentibus, atque futuris, quia adeuntes noſtram Serenitatem Comites venerabiles Hagano, & Ermenfridus adduxerunt ſecum virum venerabilem ſeruum Dei Gerardum, qui Bronium monaſterium in pago Lomacenſi ſuper riuum Bornon ſitum, vbi Pipinus filius Anſigiſi iuſſit oratoriolum exſtrui ſuis fidelibus, & beatiſſimum Lambertum Eccleſiæ Tungrenſis Epiſcopum pia peroratione fecit dedicare in honorem perpetuæ virginis Mariæ, ſanctique

que Ioannis Baptistæ, atque clauigeri Christi, & Apostolorum Principis Petri, restruxit, & amplificauit in melius. Completo itaque iam dicti loci ædificio, adiit vir Dei Parisiacensem territorium ad Monasterium sanctorum Martyrum Dionysii, sociorumque eius. Impetrauit, quod diu desiderauit thesaurum, egregii scilicet Martyris Eugenii Toletanæ sedis Episcopi corpus nobilissimum cum aliorum multorum pignorum sanctorum, & cum magna exultatione asportauit ad iam dictum locum. Humiliter sunt deprecati iam dicti fideles nostri, quo pro amore Dei.& reuerentia ipsius sancti loci, præfatum Monasterium nostra quoque confirmaremus auctoritate. Quorum petitiones libenter adquieuimus, & ita in omnibus concessimus, atque per hoc præceptum nostrum confirmauimus. Præcipientes ergo iubemus, vt nullus Episcopus, neque iudex publicus, nec quislibet ex iudiciaria potestate in Ecclesias, aut locum, vel agros, seu reliquas possessiones memorati Monasterii, quas moderno tempore infra ditionem regni nostri iuste, ac rationabiliter possidet, vel ea, quæ deinceps in iure ipsius loci voluerit a Catholicis viris diuina pietas augeri, aut causas audiendas, vel freda, aut tributa exigenda, vel mansiones, aut siluas, vel paradas faciendas, aut fideiussores tollendos, aut homines eiusdem Monasterii tam ingenuos, quam seruos, super terram ipsius commanentes, iniiuste diffringendos, nec ullas redibitiones, aut inlicitas occasiones requirendas, nostris, & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea, quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat. Item ob amorem Dei, & reuerentiam supra dictorum Sanctorum, propter stabilitatem iam dicti locelli statuimus, atque iubemus, vt nullus Christianus laicus, neque Clericus præsumat in circuitu iam dictum Monasterium in villa Bronio, neque in aliis, qui prope sunt Monasterii vnde homines ibi commanentes decimam propter remedium animarum suarum in iam dictum locum Deo exsoluere debent, herbegare, nec in mansiones, neque in annonas, vel pratis audeat cabablos suos repascere; nec vllum hominem, neque feminam, aut pecora, vel cabablos ibi per potestatem, sine licentia ibi Deo seruientium apprehendere præsumat; sed liceat memorato seruo Dei Gerardo, atque Abbati, cui commendauerit regere supra dicti loci, suisque successoribus prædicti monasterii, sub immunitatis

noſtræ defenſione quieto ordine poſſidere. Obnixe denique omnes ſucceſſores noſtros iſtius regni futuros obſecro, vt quod ſalubri, & neceſſaria deuotione, ob Dei amorem & ſupra dictorum ſanctorum ad animarum ſalutem egimus, inuiolabiliter perpetim obſeruare procurent. Datum ſexto kalendis Septembris indictione ſecunda anno vigeſimo nono regnante Carolo Rege glorioſo, redintegrante vigeſimo quarto, largiore vero hereditate indepta decimo. Actum Aquiſgrani palatii, anno ab incarnatione domini nongenteſimo, decimo quarto.

Nouerit itaque omnium fidelium noſtrorum præſentium ſcilicet, & futurorum ſolertia quendam venerabilem Abbatem Gerardum noſtræ regalitatis adiſſe præſentiam, petiſſeque, vt cœnobiolum, quod ipſe ex hereditatis ſuæ proprio in pago Lomacenſi in loco, qui dicitur Bronium, conuerſus nuper conſtruxerat in honorem S. Petri Principis Apoſtolorum, nec non & S. Eugenii Toletani Archiepiſcopi, & Martyris poteſtate Regia contuendum ſuſceperimus; allodiumque, & poſſeſſiones, vel prædia, quæ iam dictus Abbas, ſeu vir nobiliſſimus multa poſſederat, & ea beato Petro ad ſolatium inibi Deo ſeruientium contulerat, in noſtra protectione, noſtrorumque ſucceſſorum deinceps conſiſterent. Nos vero iuſtis, & religioſis petitionibus aſſenſum præbentes, & a vero remuneratore, pro hoc, & aliis pietatis commerciis mercedem ſperantes; idem Monaſterium, cum omnibus, quæ ad ipſum pertinent, in noſtra tutela perpetuo conſeruandum ſuſcepimus, & ſtatuimus, & quam diu locus ille Deo protegente inhabitabitur, Abbas eiuſdem cœnobii omnia iura, iudiciariaſque poteſtates in villa Bronii, & in S. Laurentio, in Maiſons, in parte ſua, quam habent in villa Leubinas, in Montinio, & in Merendrech, in parte ſua, quam habent in villa de Ermenton, in Fen deſerta, in Romerias, & in Manuiſia, libere & poteſtatiue exerceat, & in his locis: & in omnibus quæ poſſidet, concedimus, & confirmamus, & bannum, & iuſtitiam, impetum, & burinam, ictum, & ſanguinem, reperturam pirgum regium, fora, telonia, vicecomitatum, wargaria, rectum & non rectum, vectigalia, & quidquid pertinet ad iudicatum, integritatem reipublicæ, & incolumitatem, & campeſtria, & ſilueſtria iura, & mortimanus ſuas, & abmatrimonia, tam libere in ſempiternum poſſideat, ſicut fundator ipſius loci nobili proſapia exortus

ante

ante conuersionem suam possederat. Nec sit qui præsumat iniicere manus in seruos, & ancillas ecclesiæ, vel in homines cohabitantes in omni ipsius possessione; sed soli ecclesiæ liceat tractare pacifice de omnibus prædictis negotiis absque calumnia alicuius sævæ tyrannidis. Præterea, quia locus ille consistit in vicinia castri Namucensis, precamur Comitem Namuci, sicut fidelem, & amicum nostrum, & vt particeps nobiscum existat ipsius ecclesiæ orationum, & grates a Deo, & laudem a nobis habeat; si tempus, aut res expostulauerit, recta manu, & vero auxilio subministret ecclesiæ opem sui adiutorii. Si vero diabolica suasione incitatus excesserit in aliquibus, ecclesiam opprimens iniuste, cum sit libera, & res ipsius authenticæ, si ad nostram præsentiam fratres detulerint querimoniam, consulam eis, ac liberabo eos ab oppressione. Hæc autem sunt ingenuorum testium nomina, vt omnis legalis firmitas impleatur. Richarius Leodiensis Episcopus, Richilinus Strazburgensis Episcopus, Rotgerus Treuirensis Episcopus, Benedictus Metensis Episcopus; Comes Wicbertus, Comes Berengarius, Comes Herimannus. Datum Nonas Aprilis anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo trigesimo secundo, indictione quinta, regnante Henrico Rege glorioso anno decimo quinto. Actum Aquisgrani Palatii fæliciter. Amen.

VII. p. 113. lit. (g)

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis Henricus diuina fauente clementia Rex. Cum petitionibus sacerdotum iustis & rationabilibus diuini cultus amore fauemus, superna nos muniri gratia non diffidimus. Quo circa nouerit omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet & futurorum industria, qualiter Baldricus Traiectensis ecclesiæ veteris Episcopus, quæ est constructa in honore S. Martini & aliorum sanctorum obtulit obtutibus nostris quasdam authoritates constitutionum Regum antiquorum Pippini videlicet & Caroli bonæ memoriæ Impp. Augusti, nec non Ludouici piissimi Cæsaris, eiusque æquiuoci Ludouici, Zuentibolchi quoque & Conradi, in quibus continebatur, quod illi ad ipsam ecclesiam concessissent, omnem decimam de mancipiis, decimis, terris, & de teloneis, vel

denegotio, & de omni re vndecumque ad partem regiam ius fiſci cenſum accipere aut exigere videbatur, vt homines eiuſdem eccleſiæ ſub Mundiburdo & tuitione ipſius eccleſiæ conſiſterent, nec non in ripis, in Doreſtado, Dauentre, Thiele, vniuerſiſque aliis locis in ipſo Epiſcopatu conſiſtentibus, vt nec bannum, nec fredum aut coniectum, quod ab ipſis geſchat vocatur contingere, aut exactare quis præſumeret, præcipienteſque firmiter iuſſerunt, vt nullus iudex publicus, neque quiſlibet de iudiciaria poteſtate, aut procuratores reipublicæ in eccleſias, aut loca vel agros, ſeu reliquas poſſeſſiones, quas moderno tempore in quibuſlibet pagis, territoriis infra ditionem regni illorum iuſte & rationabiliter memorata tenet, vel poſſidet eccleſia, vel ea quæ deinceps iure ipſius ſancti loci voluerit diuina pietas augeri, aut ad cauſſas audiendas, aut freda exigenda, aut manſiones, aut paratas faciendas, vel fideiuſſores tollendos, aut homines ipſius eccleſiæ tam ingenuos, quam & ſeruos iniuſte diſtingendos neque vllas redhibitiones, aut illicitas occaſiones requirendas ſuis futuriſque temporibus ingredi audeat, vel ea, quæ ſupra memorata ſunt penitus exigere præſumat, & quidquid de priuatis rebus eccleſiæ ius fiſci exigere poterat, integrum eidem conceſſerunt eccleſiæ, ſc. vt perpetuo tempore ei ad peragendum Dei ſeruitium in augmentum & ſupplementum fiat. Ob firmitatem tamen rei, vt iſta verius credantur, firmiuſque recolantur, poſtulauit nos prædictus Epiſcopus, vt prædeceſſorum noſtrorum regum morem ſequentes huiuſcemodi noſtræ authoritatis præceptum ob amorem Dei & reuerentiam ſancti Martini circa ipſam eccleſiam fieri cenſeremus, cui petitioni libenti animo aurem accommodantes, præcipimus, firmiterque iubemus, vt ab hac die & deinceps ſicut in ceteris immunitatibus anteceſſores noſtri reges etiam vel Impp. eccleſiis Dei conceſſerunt, ita & nos in omnibus rebus immunitatem ſæpe dictæ eccleſiæ concedimus, ac iure perpetuo delegamus.

Hanc itaque authoritatem vt tam noſtris, quam ſucceſſorum noſtrorum temporibus inuiolabilem obtineat firmitatem, manu propria ſubtus firmauimus, & ſigilli noſtri impreſſione iuſſimus roborari.

Signum Domini Henrici inuictiſſimi Regis.

Simon Nota-rius.



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [300] - 306
PUBLIC DOMAIN

VI:I. p. 116. litt. (r)

In nomine ſanctæ, & individuæ Trinitatis, Henricus diuina fauente clementia Rex. Omnium namque fidelium noſtrorum petitionibus ſerenitatis noſtræ aurem accommodare oportet, maxime tamen eorum, qui de ſacris mentionem faciunt cœnobiis, obtemperare decreuimus. Nam noſtris crebreſcentibus peccatis multimodas paganorum caſtigationes, quibus Chriſticolas afflixerunt, ſentimus. Inter quas etiam Machtildam dilectam coniugem noſtram vna cum Bodarbrunnenſis eccleſiæ Epiſcopo videlicet Vnwano, ſeu & ceteris fidelibus noſtris, de ſanctis Heriuurdenſis monaſterii monialibus interpellantem cognouimus, quatenus illarum præcepta regia, quæ ab *ethnicorum* infeſtatione exuſta ſunt renouari præciperemus. Quapropter nouerit omnium fidelium noſtrorum induſtria, quia miſeratione earum repleti ob amorem Dei ſanctorumque, petitionibus eorum aſſenſum præbentes, prout ea ab anteceſſoribus noſtris habere videbantur, noſtræ auctoritatis renouatione prænotare iuſſimus, ea videlicet ratione, vt quidquid inueſtitura ſupra dicti loci, ſiue de Regum, vel cuiuſlibet perſonæ traditione appareat, nullo iniuſto contradictionis impedimento æternaliter de eiuſdem congregationis nutrimina perſeueret, quatenus abſque alicuius ſæcularis vexationis conflicto ſub noſtræ tuitionis munimine dignas, ac DEo placitas perſoluere ſtudeant laudes noſtraſque, noſtrorumque anteceſſorum, quam & ſucceſſorum frequentent orationes. Quorumdam autem locorum vocabula, quæ quidam falſitatis fraude abſtrahere conantur, huic conſcripto ſubnectere præcepimus. Antgereſgowe, Vineswalde, Queranberch, Ludwineſdorp, & Hunbech, ſecus fluuium Sigina. Hæc omnia cum reliquis cunctis poſſeſſionibus tam in agris cultis & incultis, quam & in omnibus appendiciis ad præfatum locum reſpicientibus firma, ſtabilique ſtatione in iam dictæ familiæ poteſtate perenni tempore conſiſtant. Et vt hoc noſtræ confirmationis præceptum firmum ſtabileque permaneat manu noſtra ſubtus illud firmauimus, annuloque noſtro ſigillari iuſſimus.

Signum

Signum Domni Henrici  Sereniſſimi Regis.

Simon Notarius ad vicem Herigeri Archiepiſcopi Capellani recognoui.

Data XV. Calend. April. anno Incarnationis Domini Io cccXXVII. Indictionum XV. anno vero regni glorioſiſſimi Henrici Regis VII. Actum Aſtnid in Dei nomine feliciter Amen.

IX. p. 116. lit. (p)

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Henricus diuina fauente clementia Rex. Conuenit noſtræ regali Celſitudini, vt petitiones fidelium noſtrorum has præcipue, quas pro eccleſiarum ſibi commiſſarum vtilitatibus ſuggerunt, ad effectum perducamus, quoniam hoc & ad præſentem vitam proſpere peragendam, & ad futuram beatitudinem promerendam profuturum liquido credimus. Vnde nouerit omnium fidelium noſtrorum tam præſentis, quam futuri temporis induſtria, quod rogatu coniugis noſtræ Domnæ Reginæ Machtildis, vna cum prole & æquiuoco noſtro, nec non Epiſcopi Adalwardi, qui legatus fuit ad nos miſſus ab Abbate venerabili Folcmaro fratribuſque Chriſto in noua Corbeia militantibus, & SS. Martyribus noſtris aduocatis & interceſſoribus noſtris Stephano atque Vito fideliter ſeruientibus omnes conceſſiones, quas priorum Regum temporibus habuerunt, firmiter eidem loco, id eſt, prædicto abbati & fratribus conceſſimus. Præcipue vt poteſtatem habeant inter ſe, cum neceſſitas venerit, abbatem eligendi, & vt a nullo Epiſcopo de dominicalibus manſis eiuſdem monaſterii decimæ exigantur, neque a comite, vel ex qualibet iudiciaria poteſtate coloni eorum ac liti ad iuſtitiam faciendam aliquo banno conſtringantur, ſicut anteriorum Francorum Regum temporibus præfato monaſterio con-

conceſſum fuiſſe cunctis fidelibus noſtris liquido patet. Et vt hæc auctoritas noſtræ largitionis firmiter habeatur, atque per futura tempora a fidelibus noſtris verius credatur, & ne deinceps hinc aliqua dubietas fiat, noſtra propria manu ſubter eam firmauimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari iuſſimus.

Signum Domni Henrici  Sereniſſimi Regis.

Simon Notarius ad vicem Herigeri Archicappellani recognoui & ſſs.

Data X. Calend. Martii anno Incarnationis Domini IↃCCCC. XXII. Indictione X. anno autem regni glorioſiſſimi Regis Henrici III. actum in villa, quæ dicitur Quitilingaburg in Dei nomine feliciter amen.

X. p. 196. lit. (b)

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Henricus diuina clementia Rex. Si ſeruorum Dei petitionibus, quas pro eccleſiarum ſibimet commiſſarum vtilitatibus nobis ſuggeſſerint, clementer annuuerimus, id nobis ad perpetuæ beatitudinis præmia promerenda liquido profuturum eſſe credimus. Vnde omnibus ſanctæ Dei eccleſiæ fidelibus præſentibus ſcilicet, & futuris, notum eſſe volumus, quod fidelis noſter Witger abba monaſterii, quod vocatur Werdina, inſinuauit celſitudini noſtræ, qualiter ipſum monachorum cœnobium ſibi commiſſum a beatæ memoriæ Sancto Liudgero Epiſcopo in propria eius hereditate fuerit conſtructum, monachiſque contraditum, & glorioſiſſimorum Regum Ludowici videlicet, filii Magni Regis Karoli, & ſucceſſorum eius pro æterna ipſorum, omniſque glorioſiſſimi generis eorum memoria defenſione, & tuitione hactenus fuerit conſeruatum. Quamobrem noſtram implorauit clementiam, vt idem monaſterium ſub noſtra tuitione ſuſcipientes omnes conceſſiones ab anteceſſoribus noſtris ſibi collatas noſtræ auctoritatis præcepto firmaremus. Cuius rationabili, & iuſtæ petitioni aſſenſum præbentes decernimus, atque iubemus, inprimis vt idem monaſte-

monaſterium cum omnibus ad ſe pertinentibus pleniſſimæ immunitatis ſecuritate perfruatur, neque publicis exactionibus, vel quibuſcumque modis, illorum ſerui, liti, vel liberi a qualibet iudiciaria poteſtate conſtringantur; coram aduocato eorum, ſi quid ad inquirendum, vel ad corrigendum ſit, inquiratur, & corrigatur. Præfati monaſterii homines ab omni vectigalium inquiſitione, vel telonii ſecuri conſiſtant; præterea quod aliis quoque monachorum cœnobiis conceſſum conſtat, vt vbicumque dominicatos manſos habuerint, in quocumque ſint Epiſcopio, vel præfectura, ſeu etiam prouincia, vel regione ſiti in omni regno a Deo nobis collato decimas, quas alii Epiſcopis ſoluunt, ad portam monaſterii concedimus, & a nemine penitus eas alibi dare cogantur, quatenus inde pro noſtra ac totius generis noſtri perenni mercede ſuperuenientibus peregrinis & hoſpitibus ſeruiatur. Inſuper etiam eidem fratrum Collegio ad eligendum Abbatem inter ſe poteſtatem concedimus, abbas illius monaſterii ad caſtra & in hoſtem ire non cogatur, niſi forte regia liberalitate adiutus copiam quandoque accipiat illud faciendi. Illius etiam regionis Epiſcopus, ſi ſynodalem ibidem conuentum vel ſermonem facere ad populum deſtinauerit, de Epiſcopio illi ſeruiatur, niſi forte eodem die alia circueundo viſitare loca voluerit. Tunc benedictionem de Abbate non pro debito ſeruitio, ſed pro amore ſuſcipiat. Et quia nihil ad illum locum pertinet, niſi tantum hereditas Sancti Liudgeri, & propinquorum eius, ideo liceat abbati illud monaſterium cum rebus ad ſe pertinentibus libere, ac plane poſſidere, quatenus eos melius delectet pro noſtra, & noſtrorum fidelium ſalute, ac totius imperii noſtri ſtatu diuinam implorare clementiam. Hæc auctoritatis noſtræ conceſſio, vt firmiorem in Dei nomine obtineat ſtabilitatem, manu noſtra eam firmauimus, & annuli noſtri impreſſione ſigillari præcepimus.

Signum Domni Henrici  inuictiſſimi Regis.

Simon notarius ad vicem Hiliberti Archicappellani recognoui. Data VII. Calend. Martii anno incarnationis Domini IↃCCCC. XXXI. Indictione IIII. anno regni primi Henrici Regis XIII. actum in Werlaha Ciuitate Regia in Dei nomine feliciter amen.

XI. p. 234. lit. (m)

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis Henricus diuina fauente clementia Rex. Nouerint omnes fideles noſtri, tam præſentes quam etiam futuri, qualiter nos rogatu Vnnonis Hamburgenſis eccleſiæ venerabilis Archiepiſcopi quamdam commutationem inter ſe, & quemdam nobilem virum nomine Willarium fieri permiſimus. Tradidit enim præfatus Willar cum manu Raſmade coniugis ſuæ, & Thoadulfi filii eius ad prædictum epiſcopatum in manum ipſius eccleſiæ Epiſcopi Vnnonis, & Vlfridi ſui etiam aduocati, quidquid proprietatis in locis Holtgibutli, Holtem, Fokareſha, Niantorp, Omanthorp, Walle, Magulum, Rikinburgi & Damiſta nuncupatis habere viſus eſt, curtilibus, ædificiis, mancipiis, terris cultis & incultis, & omnibus, quæ dici aut nominari poſſunt appendiciis contra eam recompenſationem, quam ab eodem Epiſcopatu ſibi traditam accepit, & noſtræ auctoritatis ſcripto confirmatam adquiſiuit. Eamdem vero commutationem eiuſdem Epiſcopi petitione hoc ſcripto confirmari iuſſimus, & vt hoc noſtræ confirmationis præceptum a fidelibus noſtris verius credatur; & diligentius obſeruetur, manu noſtra ſubtus illud firmauimus, & annuli noſtri impreſſione ſigillari præcepimus. Data IX. Kalend. Iunii anno Dominicæ Incarnationis IↃCCCCXXXV. Indictione VIII Anno autem Henrici Regis XVII. Actum Diuſburg in Dei nomine. Amen.

XII. ad p. 245. lit. (y)

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Henricus diuina fauente clementia Rex. Nouerit induſtria fidelium noſtrorum tam præſentium, quam etiam futurorum, qualiter nos per interuentum dilectæ coniugis noſtræ Machtildis & Vnwani Paderburnenſis eccleſiæ Epiſcopi conceſſimus ſororibus in loco, qui dicitur

Hereſi, Deo famulantibus, vt in eligendis Abbatiſſis inter ſe propria electione iuxta priſtinum morem fruantur, ſi talem inter ſe moribus, ſcientiaque probatam inuenerint, quæ eidem apta dignaque, quantum humana ad id competit fragilitas, dinoſcatur. Eorumdem igitur petitione auctoritatis præceptum eidem ſancto loco fieri decreuimus, quatenus ſub noſtra defenſione cum omnibus ad ſe iuſte ac legaliter pertinentibus permaneat. Præcipientes ergo iubemus, vt nullus iudex publicus, aut quilibet ex iudiciaria poteſtate in eccleſias, aut loca, vel agros, ſeu reliquas poſſeſſiones memoratæ eccleſiæ, quas moderno tempore infra ditionem regni noſtri legibus poſſidet, vel quæ deinceps in iure ipſius loci voluerit diuina pietas augeri, ad cauſſas iudiciario modo audiendas, vel freda exigenda, aut fideiuſſores tollendos, aut homines ipſius eccleſiæ contra rationem diſtringendos, vel vllas ſeditiones, vel illicitas occaſiones requirendas, vllo vmquam tempore ingredi audeat, vel ea omnia, quæ ſupra memorata ſunt penitus exigere præſumat. Quidquid vero fiſcus ſperare potuerit, totum nos pro æterna remuneratione prædictæ eccleſiæ perpetualiter concedimus, quatenus melius delectet Dei ancillas in prædicto loco degentes, pro nobis, coniuge, proleque noſtra Dei miſericordiam exorare. Hæc quippe auctoritas vt pleniorem nec non firmiorem in Dei nomine obtineat vigorem, & ab omnibus fidelibus noſtris verius credatur, & diligentius obſeruetur, manu noſtra propria ſubter notando firmauimus, & annuli noſtri impreſſione adſignari iuſſimus. Datum V. idus Maii, anno Dominicæ Incarnationis IↃCCCC. XXXV. Indictione VIII. Anno autem Henrici Regis XVI.

XIV. p. 248. lit. (d)

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Henricus diuina clementia Rex. Nouerint omnes fideles noſtri præſentes ſcilicet & futuri qualiter diuina miſericordia diſpenſante ſublimati in regnum, omnibus circumquaque degentibus fidelibus æquo & iuſto moderamine præeſſe, & omnia Dei reſpectu regere cupiamus, placuit etiam nobis domum noſtram Deo opitulante ordinaliter diſponere. Quapropter legali moderatione aſtantibus fidelibus noſtris, cum con-

consensu & astipulatione filii nostri Ottonis & Episcoporum, procerumque & comitum petitione dulcissimæ coniugis nostræ Mathildæ potestatiua manu tradimus, & donamus, quidquid propriæ hereditatis in præsenti videmur habere in locis infra nominatis. Hæc enim sunt: Quitilingaburg, Palithi, Northusa, Gronau, Duderstete, cum ciuitatibus & omnibus ad prædicta loca pertinentibus, in ius proprium concessimus, litis, seruis, mancipiis, vtriusque sexus, ædificiis, terris cultis & incultis, agris, pratis, campis, siluis, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, viis, & inuiis, exitibus, & reditibus, quæsitis, & inquirendis. Et vt cuncti cognoscant, eo modo & ea ratione, si nobis superstes exstiterit, & in sanctæ viduitatis pudicitia permanserit, prædicta loca ei concedenda tradimus, vt libera atque secura potestate, cum omni quæsitu eisdem locis inuento, temporibus suis feliciter perfruatur: nec non etiam interiorum familiarum collegionem intrinsecus famulantium cum omni supellectili, cum equariciis ibidem inuentis, potestati illius possidenda perpetualiter prædestinamus. Et vt nostræ donationis largitio firma, stabilisque permaneat, manu nostra subtus firmauimus, & annulo nostro sigillari præcepimus.

Signum Domini Henrici  Serenissimi regis.

Simon Notarius ad vicem Hiltiberti Archicappellani recognoui. Datæ XVI. Kal. Octobr. anno Dominicæ incarnationis IↃCCCC XXIX. Indictione II. anno vero X. Henrici glorioſi regis regni. Actum in loco qui dicitur Quintilingaburg, in Dei nomine feliciter. Amen.

XV. p. 254. lit. (m.)

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis Henricus diuina fauente clementia Rex. Si loca ad Dei seruitium mancipata in ali-

quibus fulcimus beneficiis, hoc profecto ad augmentum æternæ ſperamus eſſe retributionis, & remunerationis. Id circo nouerint omnes fideles noſtri præſentes ſcilicet & futuri, qualiter nos interuentu Machtildæ dilectæ coniugis noſtræ ſanctimonialibus feminis in loco Heriuurt nominato Deo famulantibus conceſſimus, vt in eligendis abbatiſſis propria electione fruantur. Proinde hoc noſtræ auctoritatis præceptum eis inde conſcribi iuſſimus; per quod præcipimus, quatenus ita, vt prædiximus, permaneat. Et vt hoc verius credatur, manu noſtra illud firmauimus, & annulo noſtro ſigillari iuſſimus. Data IV. Idus Octobr. anno dominicæ incarnationis IↃCCCC. XXXV. Indict. VIII. anno regni Henrici Regis XVI, actum in Alſteti. Amen.



Ind'ex

INDEX AVCTORVM.

Adelzreiterus *Ioannes*
Adreualdus.
Adso Deruensis.
Adso S. Basoli.
Adso Luxouiensis.
Agathias.
Agobardus.
Albericus Monachus.
Albinus *Petrus*.
de Andlo *Petrus*.
Annales Fuldenses Freheriani.
Bertiniani.
Eginharti.
Tiliani.
Metenses.
Colmarienses.
Arnoldus *Gothofredus*.
Astronomus.
Auentinus *Ioannes*.
Auitus Viennensis.

B.

Backschay *Abrahamus*.
Balbinus *Bohuslaus*.
Baluzius *Stephanus*.
Bangertus *Henricus*.
Baronius *Cæsar*.
Barthius *Caspar*.
Basnagius *Iacobus*.
Bebelius *Balthasar*.
Becmannus *Ioannes Christophorus*.
Benzelius *Ericus*.
Berneggerus *Matthias*.
Blondellus *Dauid*.
Bodo.
Bollandus *Ioannes*.
Bonfinius *Antonius*.
du Bouchet.
Bromtonus *Ioannes* Tornallensis.
Brotuffius *Ernestus*.
Browerus *Christophorus*.
Brunnerus *Andreas*.
Bruschius *Caspar*.
Buntingus *Henricus*.
Burchardus Wormatiensis.

C.

Canisius *Henricus*.
Capitularia Francica.
Catellus.
Cedrenus.
Cellarius *Christophorus*.
Centuriatores Magdeburgenses.
Chassaneus *Bartholomæus*.
Chifletius *Io. Iacobus*.
Chronicon Rhythmicum Gandesiense.
Magnum Belgicum.
Saxonicum MS.
Brandenburgicum MS.
Magdeburgicum MS.
Alexandrinum.
Turonense.
Martinianum.
Muscacense
Wurzburgense.
Wadenstedii.
Chronographus Saxo.
Cocceius *Io. Henricus*.
Codinus *Georgius*.
Cointius *Carolus*.
Collius *Franciscus*.
Conradus Vrsbergensis. Con-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [309] - -
PUBLIC DOMAIN

Conringius *Hermannus*.
Corrippus.
Coſmas Pragenſis.
Cranzius *Albertus*.
Cuiacius *Iacobus*.
Cuſpinianus *Ioannes*.

D.

Dacherius *Lucas*.
Dattius *Ioannes Philippus*.
Dietericus *Io. Conradus*.
Ditmarus Merſeburgenſis.
Doubletus.
Duldorpius *Wetechindus*.

E.

Eccardus Iunior.
Eccardus *Ioannes Georgius*.
Eginhartus.
Emmius *Vbbo*.
Engelhuſius.
Erdmannus *Erduinus*.
Ernſtius *Henricus*
Eſpernonius.

F.

Fabricius *Georgius* Chemnicenſis.
Ferrandus *Ioannes*.
Fiedlerus.
Folcuinus Lobienſis.
Folcuinus Leuita.
Fontenelle.
Fredegarius.
Freherus *Marquardus*.
Frodoardus.
Fulcherius Carnotenſis.

G.

Gamanſius *Ioannes*.
Gelenius *Aegydius*.
Gellius *Aulus*.
Genealogia Arnulphi Metenſis.
Gerhardus Bronienſis.
Gerhardus Preſbyter.
Gewoldus *Chriſtophorus*.
Gobelinus Perſona.
Godefridus Viterbienſis.
Goldaſtus *Melchior Henricus*.
Graunius *Caſpar Henricus*
Grotius *Hugo*.
Gudenus *Io. Mauritius*.
Guichenon.
Guilielmus Brito.
Guillimannus *Franciſcus*.
Guntheri Ligurinus.

H.

Hammelmannus *Hermannus*.
Hankius *Martinus*.
Hartknochius *Chriſtophorus*.
Heineccius *Ioannes Michael*.
Helmoldi Chronicon Slauorum.
Henelius *Nicolaus*
Henningeſius *Hieronymus*.
Henricus Heruordienſis.
Henſchenius *Godefridus*.
Hepidanus.
Hermannus Contractus.
Hertius *Ioannes Nicolaus*.
S. Hieronymus.
Hincmarus Rhemenſis.
Hiſtoria Brandenburgenſis, MS.
Hulſius *Leuinus*.
Hundius *Wiguleius*.

K.

Kettnerus *Fridericus Erneſtus*.

L.

Lambardi Gloſſarium.
Lambecius *Petrus*. Lam-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [310] - -
PUBLIC DOMAIN

Lambertus Ardenſis.
Schaffnaburgenſis.
Lamius *Bernhardus.*
Leibnitius *Gothofr. Wilhelmus.*
Leo Oſtienſis.
Leuberus *Beniamin.*
Leukfeldius *Io. Georgius.*
Leznerus *Ioannes.*
Lindenbrogius *Erpoldus.*
Loſſius *Valentinus.*
Luitprandus Ticinenſis.
Lupoldus de Babenberg.

M.

Maderus *Ioachimus Ioannes.*
Mammertinus *Claudius.*
Marca *Petrus.*
Marianus Scotus.
Maſius *Hector Gothofredus.*
Matthæi *Antonius* nepos.
Matthæus Pariſienſis.
Meibomius *Henricus*
Melanchthon *Philippus.*
Merſſæus *Petrus.*
Meuriſſius *Martinus.*
Meurſius *Ioannes.*
Micrelius *Ioannes.*
Miræus *Aubertus.*
Miramontius.
Modius *Franciſcus.*
Mutius *Huldericus.*

N.

Nangius *Wilhelmus.*
Nauclerus *Ioannes.*
Nithardus.

O.

Obrechtus *Vlricus.*
Oddus Monachus.
Oernhielm *Claudius.*
Onuphrius Panuinius.
Otrokoſky *Franciſcus Foris.*
Otto Friſingenſis.

P.

Pagius *Antonius.*
Papebrocius *Daniel.*
Paſchaſius *Ratbertus.*
Paulinus Nolanus.
Paulinus Petricorius.
Paullini *Chr. Franciſcus.*
Peraltius.
Perizonius *Iacobus.*
Peſſina *Thomas Ioannes.*
Peucerus *Caſpar.*
Pithœus *Petrus.*
Pomarius *Ioannes.*
Pontanus *Ioannes Iſaacius.*
Poppenrodius.
Procopius.
Pulkawa.

Q.

Quercetanus *Andreas.*

R.

Radulphi Coggelſhagenſis Chronicon MS.
Ranzanus *Petrus*
Regino.
Reginonis appendix.
Reineccius *Reinerus.*
Reuſnerus *Elias.*
Rewa *Petrus*
Roleſincius *Wernerus.*
Roſwitha.
Rotgerus.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [311] - -
PUBLIC DOMAIN

Ruxnerus *Georgius.*

S.

Sagittarius *Caſpar.*
Sammarthani fratres.
Saxo Grammaticus.
Schatenus *Nicolaus.*
Scherz *Ioannes Georgius.*
Schilterus *Ioannes.*
Schubartus *Georgius.*
Schurtzfleiſchius *Henr. Leonhardus.*
Schurtzfleiſchius *Conradus Samuel.*
Seldenus *Ioannes.*
Serarius *Nicolaus.*
Seruius.
Siffridus Preſbyter.
Sigebertus Gemblacenſis.
Sigehardus Monachus.
Sirmondus *Iacobus*
Speidelius *Ioannes Iacobus.*
Spelmannus *Henricus*
Stella *Eraſmus.*

T.

Tacitus.
Tenzelius *Wilhelmus Erneſtus.*
Tertullianus.
Theophanes.
Theophylactus Simocatta.
Thurozius *Gregorius.*
Torfæus *Tormodus*
Trithemius.

V.

Vagedes *Henricus.*
Valerius Maximus.
Vaſtonius *Ioannes.*
Velſerus *Marcus.*
Vffingus.
Vignerius *Nicolaus.*
de Vineis *Petrus*
Vita S. Berwardi.
Vita Ottonis Bambergenſis.
Vita S. Vdalrici.
Vita Gerhardi Broniensis.
Vitæ Mathildæ ſcriptor.

W.

Wilhelmus Malmeſburienſis.
Wippo.
Witechindus.

Z.

Zacagni *Laurentius*
Zylleſius *Nicolaus.*

INDEX RERVM.

ADalwardus Verdenſis Epiſcopus, quis? 214.
Adelheidis numquam fuit abbatiſſa Quedlinburgenſis. 249.
Aduocati eccleſiæ qui? 126.
Agrarii milites an ruſtici. 119. 121. 122.
Alſatiam Carolus Simplex inuadit. 92.
Althemium vbi ſitum 62.
Altheimenſis concilii duo Canones 299.
Altheimenſe concilium II. p. 62.
Angelus Henrici vexillum. 222. 224.
Angilbertus Caroli M. gener. 6. 7.
eius dignitas. ibid.
Aquila an imperii inſigne 226.
in ſigillis Conradi II. Henrici III. IV. conſpicitur. 227
biceps in ſigillis Wenceſlai. 229.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [312] - -
PUBLIC DOMAIN

Aquilæ ſignum in Aquiſgranenſis palatii culmine ante Ottonum tempora cernebatur 227.
Aquilam vertere quid ſignificet, ibid.
Aquiſgranenſe palatium. 228.
Arnoldi (*Godofredi*) malignus in Aucupem animus. 119. 129.
Arnoldus notatur 262.
Arnulphus Boius inimicus ſacerdotibus. 63.
ei ius ſacrorum permittitur. 86. 90.
eius filii Ducatu exuti, quo iure. 271.
Arnulphum defendit Brunnerus. 65.
Arnulphus a Witekindo Rex dictus. 65
Athelſtanus Edithæ frater. 189.
e concubina natus. 193.
eius laudes. 195.

B.

Balbinus inepte defendit Ruxnerum. 143.
Baldericus Epiſcopus Vltraiectinus diploma accipit ab Henrico Aucupe 306.
Baronii iudicium de filio minorenni Heriberti Rhemenſi Epiſcopo electo. 207.
Bauariæ Duces an ex ſtirpe Bernhardi Italiæ Regis 206.
Benno Metenſium Epiſcopus cuius originis. 272.
oculis & virilibus priuatur ibid.
Berchta Burchardi Ducis filia Rudolpho TI. Burgundo nupſit. 87.
nupſit Hugoni Italiæ regi. 88.
Berengarius Italiæ Rex an Francus? 257.
Bernhardus Dux ignotus. 183.
Bernhardus Halberſtadienſis Antiſtes, Dynaſta Hadmerſlebienſis. 215.
eius annus emortualis 216.
Bilingus quis 13.
Bilingi varii. ibid. ſeq.
Bohemia principes habuit, non reges. 175.
cur Witechindus & Frodoardus Rege sappellauerint. 175.
Bohemorum Hiſtorici noui. 157.
Boioarii cum Saxonibus Hungaros fuderunt 230.
Bonfinii venalis calamus. 232.
Bonnenſe fœdus inter Carolum & Henricum. 104. 301.
Borſiuoi Dux Bohemiæ 176.
Eius progenies ac ſtemma. 177.
Boſo non habuit Ludouici imperatoris filiam in matrimonio. 206.
eius cum Giſelberto & Heriberto ſimultates. 205.
Botfeldium. 251. 254.
Brandenburgici Marchionis nomen Henrici tempore incognitum. 150.
quando inualuerit. 165. ſq.
Brandenburgum. 150.
an Slauicum nomen. 150. 155.
Brandenburgi ineptæ deriuationes. 156.
Brotuffius notatur. 224.
Browerus notatur. 213.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [313] - -
PUBLIC DOMAIN

Brunnerus defendit Arnulphum Bojum. 65.
contra Schubartum & Diterícum defenditur. 143.
Budiſſinenſem Marchiam nonnulli pro Luſatia ſuperiori habent. 173.
Burchardus Sueuiæ Ducis mores. 63.
ſacerdotibus inuiſus. 66.
eius cum Rudolpho Burgundo bellum. 86.
auxilio Rudolpho contra Italos venit. 259.
Burchardus II. Burchardi I. filius. 270.
Burchardus Wurzburgenſis Epiſcopus. 216.

C.

Cangius laudatur. 142.
contra Schubartum defenditur. 142. 143. 144.
Capitularia Francorum Ottonis tempore adhuc in vſu erant. 265. 273.
Carolus M. an aquilis vſus. 226. ſq.
Carolus ſimplex Alſatiam inuaſit. 92.
nullum ius in Lotharingiam habuit. 92. 93. 98.
deſtituitur a ſuis. 98. 100.
conciliatur diſſidentibus. 100.
Richarii electionem in Epiſcopatum Tungrenſem confirmat. 101. 103.
inducias fecit cum Henrico. 104.
eiuſdem de cauſſa Tungrenſi litteræ acerbæ contra Henricum ad Epiſcopos ſcriptæ. 03.
vtrum ſe Lotharingia abdicauerit per fœdus Bonnenſe. Negatur. 106. 107.
Cauponæ in Saxonia. 123.
Cellarius (*Chriſtophorus*) notatur. 172.
Cereuiſiam coquendi ius an nobilibus dedecori. 131.
Chaganus generis nomen eſt, quid ſignificet. 221.
Childebrandi ſtemma. 16.
Chlodoueus non vnctus. 81.
Chnuba Rex Danorum commentitius. 197.
eius nomen vnde in veterum monumenta irrepſerit. 197. 199.
Ciuitatum differentia, imperiales & præfectoriæ. 126.
Clypeus Henrici Aucupis. 135.
Cobbo filius Ecberti. 3.
Cœnobium Indenſe, Cornelius Münſter. 17.
Comitatus dicti a Comitibus. 273.
Comitis ac Ducis tempore Ludouici Germanici differentia. 9.
Comites Matricenſes qui. 66.
Comites Regum nomine iudicabant. 265.
non Comitatum in feudum habebant, ſed ius illum regendi, 266.
Ducibus non erant ſubiecti. ibid.
Concilium Altheimenſe II. 62.
Erfurtenſe 210. 212.
Duiſburgenſe. 272.
Conradus I. magnæ in Saxonia auctoritatis. 32.

an

an iure Henrico adimere aliquid potestatis potuerit. 49. sq.
more Carolingorum imperio praesse contendit. An iuste? 49. 50. 51.
regali iure nonnulla in Saxonia & Thuringia habuit. 60.
quando mortuus. 75. sq.
Conringius Henricum Aucupem minus recte cum Theseo comparat. 126. 132. 133.
laudatur. 258.
Conuentus Procerum in Germania non innuunt restrictam Regum potestatem. 263.
Corbeiensium priuilegia confirmat Rex peculiaribus tabulis. 308.

D.

Dalemincii qui. 25.
vnde dicti. ibid.
an veterum Saxonum colonia. ibid.
subacti. 166. 167.
Dani an tributarii facti. 197. 202.
Diemoth prima Quedlinburgensis Abbatissa. 245. 248.
Diploma, vnde Henrici progenies elucet. 47.
Diploma Vnnoni Archiepiscopo Hamburgensi ab Henrico datum. 311.
Herisiensibus virginibus datum de libertate eligendi abbatissam. ibid.
Herfordiensibus virginibus datum de libertate eligendi Abbatissam. 314.
Dotalitii origo. 41.
Dotalitium Mathildæ 39. 40.
diplomate confirmatum. 312.
Ducatus an sint feuda oblata. 50. 57.
nondum hereditarii. 268. 271.
Duces Germaniæ comparati cum Proregibus. 264.
Ducis & Comitis tempore Ludouici Germanici differentia 9.
& Archiepiscopi comparatio. 267.
& Proregis differentia. 269
Ducum potentia quomodo creuerit. 53
munus. 266. seq.
feuda particularia. 267. 276.
bella. 276.
Duces non soli eligebant. 75.
non totam prouinciam in feudum habebant, sed ius regendi. 266. 273.
non habuerunt sublime ius territorii. 267.
iis non erant Comites subiecti. 266.
Dudo Osnabrugensis Episcopus. 216
Duisburgense concilium. 272.

E

Eberhardi Conradi fratris mores. 63. 64. 65.
Eberhardus Francus, vbi Henricum conuenerit. 71. 74.
Eberhardus mittitur in Lotharingiam. 204.
Ecbertus Saxonum comes. 2. 3. 8.
eius liberi. 3.
coniux. 2. 3.

a nonnullis pro Witekindi filio venditatur. 4. 8.
Edle Knechte. 139.
Mann ibid.
Herrn ibid.
Ethitha Anglorum Regis filia Ottoni M. nupsit. 188.
eius pater. 189.
eius frater. ibid.
eius virtutes, mores. 187. 193.
eius soror. 189.
quando in Saxoniam venerit. 190. seq.
eius
eius annus emortualis indagatur 191. seq.
eius patrem Witechindus & Schatenus Edmundum dixerunt. 192.
eius mater Elfleda. 194.
eius dos Magdeburgum. 196.
eius nuptiæ cum Ottone vbi celebratæ. 196.
Eduardus Edithæ pater. 189.
Eldgida soror Edithæ. 189.
Electio an sit indicium restrictæ potestatis. 56.
Episcopi Ducum potentiæ obstaculo fuere. 54.
de pace belloque consulebantur. 217.
Episcoporum Conradi ac Henrici æuo auctoritas. 52. 53.
Equitum in Germania splendor. 137.
Equites soli milites. 139.
Erfurtensis Synodus quando habita a plerisque omittitur. 210. 212.
imperii conuentus. 248. 251.
non confundendus cum concilio Erfurtensi. 255.
Error multorum circa aduentum Edithæ in Saxoniam notatur. 190. seq.
Euergisus Mindensis Episcopus. 217.
Exercitia militaria Francorum tempore in vsu. 140.

F.

Fabricius (*Georg.*) Chemnicensis. 259
Fluminum ius 266.
Franci olim peditatu valuerunt. 136.
sub Carolingis equitatu. ibid.
Fredegarii chronicon, eius continuatio, & appendices. 17.
Frodoardus non est diuersus a Flodoardo aut Flawaldo. 207.

G.

Gaufridus de Pruliaco torneamenta solennia inuenit. 142.
Generi vocabulum ambiguum. 164.
Gensericus Vandalorum Dux non fuit Slauus. 153.
Genserici vox quid significet. 153.
Geradæ origo. 148.
Gerada donari non potest, non vendi. 148. seq.
non alienari per testamenta. ibid.
non valet inter rusticos. 149.
Gerberga monachorum mater dicta. 45.
Giselberti coniux, & Ludouici Vltramarini. ibid.
eius filia Wiltrudis cui nupta. 45
Gerhardi Bronienſis vita multa de Giselberto Duce continet. 114.

Ger-

Gerhardus Bronienſis diploma accipit ab Carolo Simplice 302.
itidem ab Henrico Aucupe 304
Germaniæ regnum electione a tempore Arnulphi deferebatur. 263.
electionis iure Henrici æuo deferebatur. 268.
Germani fiſcum atque ærarium non diſtinguebant. 266.
Giſelberti coniux Gerberga. 45.
nomen quid ſignificet. 103.
Giſelbertus Dux Lotharingiæ. 64.
eius ſtirps ex diplomate oſtenſa. 68. 300.
quo anno Dux Lotharingiæ conſtitutus. 70.
Hilduini electionem ad Epiſcopatum Tungrenſem tuetur. 101.
cur Henricum initio reſpuerit. 101. 107.
capitur a Comite Chriſtiano. 107.
quo anno Henrico ſubiectus. 107.
Gerbergam ducit. 112.
Giſelbertus comes diſtinguendus a Duce. 109.
Gnupa Iutiæ Regulus. 199.
Gormo vincitur ab Henrico, quo anno. 197. 198
non fuit Chriſtianus. 197.
grandæuus dictus 199.
eius coniux Thyra 202.
eius mores praui. 201.
Gothi cur vnctionem introduxerint. 80.
Græci imperatores an vncti, & quando. 78.
quando coronati. 79. 8.
Gronda Henrici vbi ſita. 59.
Grondæ variæ. ibid.

H.

Hadwida Henrici Aucupis altera filia Hugoni Albo nupſit. 46.
Hadwiga Burchardi II. vidua fruſtra pro Burchardi I. coniuge venditatur. 269.
femina magnæ auctoritatis, ibid.
Hadwigis filia Ecberti. 3.
Harzicæ metallifodinæ non ſunt inuentæ Henrici ætate. 261.
Harlingi iidem ac Heruli, & Heuelli. 160. 161.
Hartingau. 247.
Hattui Ottonis illuſtris coniux. 19.
Ludouici Germanici filia. 20.
Hateburga uxor Aucupis an concubina 28.
Eruini Altſtættenſis, non Altenburgenſis filia. 29.
Hateburgæ & Haduidæ idem nomen. 29.
Heergewette. 146. ſq.
Hereotum. 147.
Henricus Auceps Ottonis filius, & Hadwidæ. 22. 23.
litterarum rudis. 22.
cur dictus Auceps. 24.
eiuſdem bellum contra Daleminctos. ibid. ſeq.
an poculis deditus. 28. 29.
eius ſitis. ibid.
viuo patre cum Hateburga ſe

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [317] - -
PUBLIC DOMAIN

copulauit. 33. sq.
eiusdem cum Mathilda coniugium. 34.
eius liberi. 42.
eius ac Conradi Regis dissensio. 49.
Euerhardum Franeum fundit. 58.
conciliatur Conrado. 60. 61. 62.
eius nummus. 71.
vbi eum conuenerit Euerhardus Francus. 71. 74.
vngi noluit. 77.
Buchardum Sueuum repugnantem terret. 85. 89.
Arnulphum terret. 85. 90.
latrocinia coercet. 86.
eius modestia, humilitas, pacis amor. 90.
dissensiones Lotharienſium in sui fauorem flectit. 101.
inducias fecit cum Carolo Simplici. 102.
Lotharingiæ proceres diuerso tempore ad officium redegit. 105. 107.
iure Lotharingiam repetiit. 106.
an remissione, ac cessione Gallicorum principum opus habuerit Lotharingiæ respectu. 112.
pacem ab Hungariis redimit. 114.
cur. 118.
agrarios milites in vrbes transfert. 118.
eum Theseo minus recte a Conringio comparatur 120. 132. 133.
an luxus in Saxonia auctor. 129.
exercitia militaria in vsum reuocauit. 133.
torneamenta solennia non introduxit, nec renouauit. 133. 134.
eius clypeus. 135.
Slauos adoritur. 150.
Heuellos. ibid.
Marchiones plures constituit, non autem introduxit. 160.
an ex stirpe Witekindi disputatur. 1. sq.
Milcenos debellauit. 170.
Dalemincios subegit. 166. 167.
Bohemos deuicit. 175.
Wenceslaum S. subigit: Boleslaum non item. 176.
Editham Anglorum Regis filiam Ottoni in vxorem dat. 188.
cur filio Ottoni Editham Anglicanam sociauerit. 194. sq.
Gormum vincit, quo anno. 197. 198.
Slesuicum expugnat. 197.
A. 931. in Belgicam vocatur. 204.
bellum parat in Hungaros: de eo cum proceribus deliberat. 208.
simoniam exstirpare contendit. 210. 212.
eius vexillum Angelus. 222.
Theodonis villæ ecclesiam cum Mo-

Moſellæ portorio aliiſque vectigalibus S. Maximino donat. 241.
in Eccleſias, ac ſacerdotes beneficus. 242.
Quedlinburgenſem Parthenonem exſtruit. 243.
binas tantum filias relinquit. 246.
colloquitur cum Rudolpho Galliæ Rege. 233. 240.
diſſidia Heriberti, Hugonis, & Boſonis componit. 233. 240.
fundauit Quedlinburgenſe monaſterium: Otto confirmauit. 250.
Mimlebii moritur. 252.
Quedlinburgi ſepelitur. 252. 260.
eius teſtamentum. ibid.
eius virtutes in compendio. 253.
eius vitia. 254.
Romam proficiſci intendit. 256.
quo anno mors eius contigerit? 260.
ob luxuriem notatur ab Arnoldo. 261. ſq.
Saxonibus ſuis fauet, eos promouet. 262.
ad iram pronus. 266.
ius circa ſacra exercuit. 264.
Præſules conſtituit, ac confirmauit ibid.
Hepidamus vitæ Wiboradæ ſcriptor, an idem cum annalium conditore. 67.
Heribertus Viromanduus ad Henricum inclinat. 203.
Rudolpho Galliæ Regi infeſtus cur. ibid.
filiam minorennem in Rhemenſem eccleſiam malis artibus inuehit. 203. 207.
Laudunenſem comitatum pro filio petit, non obtinet. 203.
Herigerus Moguntiæ Præſul. 72.
olim Abbas Fuldenſis, idem cum Huoggi. 76. 77.
Herimannus Sueuiæ Dux. 270.
eius filius Alaricus. ibid.
eius coniuges. ibid.
Heriſienſes virgines diploma ab Henrico accipiunt. 245. 311.
Heriuordienſes virgines diploma accipiunt ab Henrico. 307. 314.
Heruli qui. 159.
Hetha Danorum ficta. 200.
Heuelli vbi, & vnde. 155.
Hildebertus Præſul Moguntinus eius virtutes. 213.
Hilduini electionem ad Epiſcopatum Tungrenſem tuetur Giſelbertus. 101.
Hugo Albus hoſtis Ludouici Vltramarini 46.
Huitfeldius notatur. 200.
Hungarici ſcriptores in antiquis cœcutiunt. 231.
Hungari non diuerſi ab Hunnis. 114. 115.
Byzantinis iidem ac Turci. 115.
Saxoniam vaſtant. ibid.
diuerſi a Slauis contra Leibnitium. 153.
eorum origo. 153.

Cum

cum Slauis conſpirant. 155.
tributum flagitant, repulſam ferunt. 218.
in Saxoniam irrumpunt, Merſeburgum oppugnant; cæduntur tam in Weſtphalia, quam parte orientali prope Merſeburgum. ibid.
Italiam vaſtant, & Septimaniam 221.
Hungarorum clades iuxta Merſeburgum quo anno accepta. 223.
Hunnii diuerſi a Slauis, quod defenditur contra Leibnitium. 153.
Hunno Bremenſis Præſul. *vide* Vnno
Huogi idem cum Herigero p. 76. 77.

I.

Iana Daleminciorum vbi. 166. 167.
Ida Ecberti coniux. 2. 3.
ex quo genere, an Caroli M. 5.
Idæ genealogia. 6.
Imperii ſedes ambulatoria. 115.
Imperatores Romani non vncti, & quando. 78.
quando coronati 79. 80.
Imperatores Græci an vncti, & quando. 78.
quando coronati. 79. 80.
Indenſe cœnobium, Cornelius Münſter. 17.
Indueiæ inter Henricum ac Carolum Simplicem. 102.
Italis licuit Carolo Craſſo deiecto eligere alium Regem, quam Arnulphum. 257.

K.

Kamenzi fluuius. 25.
Kettnerus (*Frid. Erneſtus*) notatur. 247.
Kirchmeße vnde. 122.
Knechte/ Edle Knechte. 139.

L.

Lambertus filius Widonis. 257.
Lancea Rudolpho Burgundo extorta 234.
eius figura. 233.
ſacra apud Corbeienſem quid 235.
Caroli vtrum penes Germanos, an Anglos. 235.
Conſtantini M. 239.
S. Mauritii. 237. 238.
Henrici Aucupis Noribergæ adſeruatur. 237. 238.
non eſt tamen illa, quo latus Chriſti eſt apertum. 239.
Leibnitius non ſeparat Slauos ab Hunnis & Hungaris. 153.
eius coniectura de Iana Daleminciorum. 168.
eius coniectura de Ecberto atque Ida. 5. 6. ſeq.
Leuticii iidem cum Wilzis. 173.
Leuticiorum ſedes ex genuinis documentis oſtenditur. 173.
Linguarum mutatio quomodo contingat, contigeritque. 152.
Litaniarum in eccleſia vſus. 234.
Lotharii, Ditmari propinqui, cæduntur prope Lunckinum. 188.
Lotharingia Zwendeboldo ſub clientela conceſſa eſt. 96.
quare difficulter ſub poteſtatem Henrici reducta 113.

Lo-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [320] - -
PUBLIC DOMAIN

Lotharingi ſeparare ſe a Germania non potuere. 93. ſeq.
eorum pactum cum Germanis tempore electionis Arnulphi. 95. 99.
quare Henricum recuſauerint. 101.
non omnes Carolo Simplici paruerunt. 105.
Lotharingorum diuerſæ factiones; vna Carolo Simplici, altera Roberto adhærebat. 108.
S. Ludmillæ vita a Balbino vulgata. 178.
Ludolphus Saxonum Dux Ottonis illuſtris pater. 2. 8.
Ecberti prædia poſſedit. 2. 3.
reliquias Anaſtaſii & Innocentii tranſfert in Germaniam. 10.
Ludouici Germanici ſuboles feminea. 20.
Ludouici Vltramarini coniux Gerberga. 45.
Lunkinum an Lenzen. 183.
Luſati a Luiticiis diuerſi. 170. 174.
Luzici pagus e diplomate deſcriptus. 172.
Mabillonii ſcripta celebrantur. 39.
error circa mortem Ottonis illuſtris. 48. 49.
in cauſſa Lotharingica errat. 105.
Mabillonius notatur. 215.
Marchiæ Miſnenſis origo: eiuſque exigua initia. 168. ſeq.
Marchio quid. 168.
Marchia Milzauia eadem cum Budiſſinenſi. 171.
Marchionis Brandenburgici nomen Henrici tempore incognitum. 150.
quando inualuerit. 165. ſeq.
Marchiones Slauorum Saxonibus adnumerabantur. 268.
Maris ſignificatio ſecundum ſtilum medii æui. 184.
Mathildæ cum Henrico coniugium. 34.
virtutes, an ex Witikindeo genere. 35. ſeq.
ſtemma. 38.
eam Henricus domum ducit. 39.
pater Thiedericus Oldenburgenſis comes. 36.
dotalitium quod. 39. 40. 244.
Mathilda Henricum filium natu minorem Ottoni in amore præfert. 43.
Mathilda Quedlinburgenſis cœnobii rectrix non fuit filia Aucupis. 245. 246.
Mathildis filia Henrici Aucupis commentitia. 47.
Quedlinburgenſis Abbatiſſa Ottonis I. filia fuit 250.
inuſitata pompa inauguratur. 250.
Meibomii (*Henrici*) diſſertatio de metallifodinarum Harzicarum origine laudatur. 261
Memlebia, Mimleben. 259.
ab Ottone II. in Abbatiam liberam mutatur. 259.
Merſeburgenſe ſuburbium. 124.
Metallifodinarum ius. 266. 275.
Methodius Chriſtianam religionem

in Bohemiam infert. 176.
eius duplex vita 178.
Michaelis archangeli cultus. 225.
eius origo. ibid.
Milceni qui. 170 171.
ilites primi distincti a simplicibus, a militibus minoribus. 138.
Milites ordini militari solenniter adscripti. 138.
Militiam non poterant cinici ordinis homines sectari. 139.
Milzauia Marchia eadem cum Budissinensi. 171.
Misnensis Marchiæ origo, eiusque exigua initia. 168. seq.
Misniæ termini tempore Henrici. 166.
Modii (*Francisci*) Pandectæ triumphales notantur. 145.

N.

Nebelungus Hasbanius. 14.
Nobiles inferioris ordinis quare in agris habitauerint. 121.
an pedites. 137.
a militibus distincti. 138.
Nobilium classes 140.
Nortmannorum nomen generale. 198.
Notingus Constantiensis Episcopus. 215.

O.

Oda coniux Ludolphi. 8.
longæua. 17. seq.
quando nata. ibid.
eius parentes. 13.
Oddus Monachus Trygwini Norwegiæ Regis vitam scripsit. 200.
Ogo Abbas S. Maximini, dein Tungrensis Episcopus. 241. seq.
Origo rerum expeditionalium. 146. sq.
Otto illustris Gandersheimii mortuus. 18.
eius coniux Hattui. 19.
eius pater Ludolphus. 2. 8.
Otto Magnus latinam linguam post Edithæ mortem didicit. 22. 23.
quando natus. 43. 48.
Editham Anglorum regis filiam ducit. 188.
vbi nuptiæ celebratæ. 196.
Rex eligitur. 251.

P.

Pagius *Antonius* notatur. 178.
notatur quod Nubam Danorum Regem dixit. 198.
Pagus Niseni. 25.
Mogellani. ibid.
Glomazi. 28.
Hercyniæ. 247.
Luzici. 127.
Matricensis 66.
Hartegau. 247.
Thiathmari. 61.
Paschasius Epitaphium Walæ scripsit. 3. 4. 5.
Patriciorum origo. 119. 124. 125.
Peditatus non constabat ex nobilibus. 137.
Peraltium Perizonius depexum dat. 121.
Perizonius Paraltium confutat. 121.
Pipinus inter Francorum Reges primum vnctus. 81.
Pipini Iunioris litteræ. 297.

Polo-

Polonorum Hiſtorici recentes. 157.
Proregis & Ducis differentia. 269.
Puſinna quando vixerit. 7.
eius oſſa ad Herfordienſe monaſterium tranſlata. ibid.

Q.

Quedlinburgenſem Parthenonem Henricus exſtruit. 243.
Quedlinburgum ab Aucupe exſtructum. 245.
an ab eod. nomen acceperit ib.
in dotalitium Mathildæ Reginæ adſignatur. 244.
an a Quadis dictum. 245.
Quedlinburgenſis Abbatiſſa prima Diemoth. 245.
cœnobii occaſio. 248.

R.

Raginerii mortis hora minus recte a pleriſque putatur. 69.
elogium. ibid.
Rainoldus Epiſcopus Mimigaredeuordenſis, ſeu Monaſterienſis. 217.
Retra Stargardia eſt. 182.
Recluſæ quæ. 67.
Reginæ nomine Regum filiæ ſignatæ. 250.
Regum Germaniæ circa matrimonia ius. 33.
Reges Germaniæ habuerunt ius ſummum circa ſacra. 264.
habebant ius metallifodinarum. 266. 275.
ius fluminum. 266.
ius ſiluarum. ibid.
fiſci bona in omnibus prouinciis habebant. 266 273.
in Bauaria ius fiſci habebant. 274
in Sueuia. 275.
in Lotharingia. ibid.
Reliquiarum cultus. 11.
in eccleſias illatio. ibid.
Rex nobilitatis fons. 140.
Germaniæ leges tulit. 265.
vectigalia tollebat. 266.
Rhedariorum clades iuxta Lunckinum ſeu Lüchen in Vcria. 179. 184.
ſedes in Vcria. 180.
metropolis Rethra. 182.
clades a ſcriptoribus antiquis exaggeratur. 187.
Riæde iuxta Merſeburgum eſt hodie Rötſchen 224.
Richarii electionem in Epiſcopatum Tungrenſem confirmat Carolus Simplex. 101. 103.
Richarius pater Rudolphi Regis Galliæ non frater. 206.
Richwinus ſeu Rinus Argentoratenſis Epiſcopus. eius elogium. 214. ſq.
Romani Imperatores non vncti, & quando. 78.
quando coronati. 79. 80.
Roſwithæ poema de conſtructione cœnobii Ganderſheimenſis. 12.
Rotgerus vitæ Brunonis ſcriptor quis? 43.
Rotgarius Treuirenſis Præſul Henricum in Lotharingiam euocat. 109.
Rudolphi Galliæ Regis fratres Hugo Niger, & Boſo. 204.
pater Richarius, non frater. 206
Rudolphi Burgundi bellum cum Burchardo. 86.
Rudolphus II. Burgundus viuente prima

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [323] - -
PUBLIC DOMAIN

prima vxore sua Berchtam Burchardi Ducis filiam duxit. 87.
eius progenies. 87. 88.
Sueuiæ portionem accipit. 235
Ruotbertus Treuirensis Archiepiscopus, Mathildæ frater. 213.
Ruxnerus *Georgius* culpatus. 134. 144. 146.
inepte defenditur a Balbino. 143.

S.

Sagittarii Ruxnerus exenteratus. 134. 146.
Schildknapen 119.
Schilterus notatur, quod Aucupem Imperatorem vocauit. 258.
Schubarti *Georgii* de ludis equestribus dissertatio confutatur. 141.
Schurzfleischii *Conr. Sam.* dissertatio de Marchia Misnensi laudatur. 169
Schurzfleischius notatur. 268.
Sergius Pontifex an Ludolphi Saxonis ætate vixerit. 12.
Sigfridus Comes Græningense monasterium fundat. 298.
Sigfridus Halberstadiensis Episcopus. 28.
eius lis cum Aucupe. 31.
Sigfridus Marchio inepte pro Comite Ringelheimensi venditatur. 161.
fuit Comes Merseburgicus. ib.
non fuit Vandaliæ Marchio. ib.
non appellatus est Marchio Brandenburgicus. ibid.
non fuit Mathildæ frater. ibid.
fuit Henrici affinis. 163.
Henrici gener dicitur. 164.
eiusdem stemma. ibid.
Siluarum ius. 256.
Slaui cum Hungaris conspirant. 150.
Sarmatæ. 151.
an diuersi a Venedis. ibid.
ab Hunnis & Hungaris diuersi, quod defenditur contra Leibnitium. 153.
tributum Henrico pendebant. 268.
Slauini. 152.
Slesvicum a Slia fluuio ita dictum. 200.
Heitaby dictum. cur. ibid.
Sorabia vbi. 171.
Sorabi. 171.
Stargardiæ nomen explicatum. 182.
Suburbiorum conditio. 124.
Suburbium Merseburgense. ibid.
Sueui iidem cum Vandalis 158.
Sueuorum veterum sedes, an Sennones. 158. seq.
Sueuon pagus vbi. 62.
Synodus Confluentina. 113. 115.
Erfurtensis quando habita, a plerisque omittitur. 210. 212.
Syrbia vbi. 171.

T.

Tancmarus an filius Henrici naturalis. 31.
occisus. 34.
Testamentum Henrici Aucupis. 252.
Testamenti vox explicatur. 260.
Theseus ex oppidis Atticæ omnibus vnam vrbem fecit. 133.
Thiathmarus Comes nuptiarum inter Hen-

Henricum & Mathildam concilia-
tor. 34.
eius comitatus vbi. 61.
Thietericus Oldenburgensis comes
pater Mathildæ. 36.
Thuringorum populus an diuersus a
Saxonum. 268.
Thyra Gormi coniux. 202.
eam Vbbo Emmius Ethelfredi
Angli filiam dicit. ibid.
Torneamentum hostile. 129.
Torneamenta solennia Henricus Au-
ceps non introduxit, nec renoua-
uit. 133. 134.
quando orta. 134.
cur eorum originem Henrico
Aucupi adscripserint. 141.
cur alii Francis. ibid.
Gaufridus de Pruliaco inuenit.
142.
Tornatio quid. 129.
Tornare an vocabulum Germanicum.
143.
Tungrensis Episcopi contentiosa ele-
ctio. 101.

V.

Vandalia an ab Henrico Aucupe pe-
culiaris iterum prouincia facta. 157.
158. 159.
Vandali a Venedis diuersi. 152.
cum Sueuis iidem. 158.
Vdalricus Augustensium Episcopus
a rege confirmatur. 172.
Vdalricus Sueuiæ Comes an Henrici
filiam, vel neptim in matrimonio
habuerit. 47.
S. Vdalricus Augustensis episcopus,
216.
eius vitæ scriptor Gerhardus
Presbyter olim incognitus.
217.
Vectigalia ad Regem pertinebant. 266
Venedi discordes inter se. 116.
an diuersi a Slauis. 151.
a Vandalis diuersi. 152.
in Vandalorum terras immigra-
runt. 159.
Vexillum Henrici angelus. 222.
Vffingus B. Idæ vitam scripsit. 2.
Velamen virginum ac viduarum 30. 31
Virgo velata quid. 30. 31.
Viromandui Comites ex stirpe Caro-
li M. 206.
Vnctionis regiæ origo vnde? 77.
quæ vis ei attribuatur. 83.
Vnctionem Gothi introduxerunt. cur.
80.
Vnnonis Præsulis Bremensis iter per
Daniam. 201.
vita, mors. 213.
an per Daniam publice religio-
nem Christianam docuerit,
dubitatur. 214.
Vnwanus Paderbornensis Præsul. 215.
Vrbes ab Aucupe conditæ, quot, &
quæ. 120. 132.
in cuius potestate. 125.
solæ an habeant ius cereuisiam
coquendi. 131.
Vrbium in Saxonia frequentia Hen-
rico adscribenda. 118.
incolæ cur cauponariam exer-
ceant. 120.
Germanicarum regendi forma,
huiusque immutatio. 127.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [325] - -
PUBLIC DOMAIN

incolæ commerciis dediti, quare 122 127. seq,
Vrbicolarum virtus, fortitudo. 128.

W.

Walchusa ciuitas quæ. 39. 40.
Walersslebiæ Episcopatus commentitius. 178. 182. seq.
Warinus filius Ecberti. 3.
Werdenses Monachi diploma ab Henrico obtinent. 309.
Werla vbi sita. 117.
Werlahense palatium. ibid,
Werlizium. 117.
S. Wiborada. 67.
Wido Thuringiæ præfectus. 218. 223.
Wido. 257.
eius filius Lambertus. ibid.
Wiltrudis filia Gerbergæ cui nupta. 45.
Winethusense virginum Collegium Quedlinburgum transfertur. 249
Witechindi Corbeiensis scripta. 2.
de illius annalibus iudicium. ibid.

Z.


Zgorzelec quid significet. 156. 157.
Zwenteboldo conceditur Lotharingia sub clientela. 96.

EMENDANDA.

p. 10. l. 32. 33. lege: *Eo respicit Paullinus Nolanus, quem multi cum Petricorio miscent.* p. 12. l. 1. lege *ad Childebrandi progeniem.* p. 19. l. 9 lege *satis* pro *satis.* p. 22. l. 2. lege *formatus* pro *moratus.* p. 27. l. 15. lege *Germani & Slaui.* p. 34. l. 21. lege *stabilitate* pro *validitate.* p. 38. l. 19. lege *Ioannes* pro *Iacobus.* p. 39. l. 15. lege *Hercynia.* l. 30. lege *confecta* pro *confecta.* p. 44. l. 6. lege σύγχρον ☉ pro σύργχρον ☉. l. 30. pro (z) pone (t). p. 46. l. 14. pro (a) pone (u). p. 47. l. 24. lege *IↃCCCCXXXVI.* p. 48. l 29. lege *Ceterum nec.* p. 55. l. 22. lege *descripta* pro *descriptas.* p. 66. l. 16. lege *Wilhelmus* pro *Wolffgangus.* p. 68. l. 4. lege *Wilhelmus* pro *Wolffgangus.* p. 70. l. 14. pro *quod* lege *quam.* p. 97. l. 6. lege *etiamtum* pro *etiamnum.* p. 108. l. 12. pro *anno* lege *anno vicesimo.* p. 111. l. 23. lege *intercapedinem.* p. 115. l. 7. lege *Henrico Carolum* pro *HenricumCarolo.* p. 120. l. 17. dele *Ioannes.* p. 127. l. 17. lege *XIV.* p. 149. l. 31. lege *an miles* pro *ille.* p. 158. l. 11. lege *aliquot* pro *aliquod.* p. 169. l. 14. lege *scriptoris antiqui testimonio.* p. 179. l. 17. dele *ante.* p. 201. l. 24. post *talia* dele *cum.* p. 211. l. 7. post *Iuniarum* lege *a. IↃCCCXXXI.* p. 216. l. 17. lege *Diepholdum* pro *Diepholdi.* l. 23. lege *eamque* pro *eumque.* p. 240. l. 2. lege *IↃCCCCXXXII.* p. 261. l. 7. lege *Sigfridi Comitis, immo potius Folcmari Abbatis.* p. 295. l. 29 pro *aliaqua* lege *aliaque.*

BIBLIOTHECA REGIA HANNOVERANA


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [326] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [327] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK


Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [328] - -

PUBLIC DOMAIN

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [329] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [330] - -

PUBLIC DOMAIN

GWLB Hannover 35
036 828 67X


XIII. 505
4°

H. Germ. XIII. 40

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [331] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [332] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 170, Stück 2, [33] r